



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Sancti Haimerani Monasterii Fvndatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13578**

## Prælati huius Monasterij.

**A**Sserit modernus Abbas Monasteriū hoc Cella Dei à tempore primæ fundationis nō habuisse suos peculiare Prælatos, sed ex Monasterio Alderspacēsi datos ei fuisse clericos, quandoq; etiam Laicos, qui illud administrarent: donec tandem Anno Domini 1604, per Dn. Ioan. Abbatem Alderspacensem res aliter fuit ordinata.

I. ACHATIVS.

II. MICHAEL.

S ANCTI HAIMERANI MONASTE-  
RII FVNDATIO.

*Vid. Velfer  
Boicar. ver.  
IV. p. 238.  
Es. supr.  
p. 185. &  
243.*

**A**NNO Domini 640. & circiter, beatissimus Pater Haimeranus Pictaviae fuit Episcopus, quæ vrbs est Aquitaniae, qui relicto Pictaviensi Episcopatu, tempore Constantini tertij, Ratisbonam venit, ut ibi populum in Catholica fide nuper à Diuo Ruperto institutum confirmaret, ac magis instrueret, sub Theodone quinto, Bauariae Duce, qui eum benignè suscepit & Episcopum Ratisbonensem constituit. Huic Theodoni filia fuit Huta, quam Sigibaldus quidam, Eques compresserat: Intumescente verò vtero, huius flagitij culpam in S. Haimeranum (qui tum in itinere erat Romam versus) absentem transfert, Landobertus verò, frater puellæ, rei indignitate commotus, S. Haimeranum insequitur, & comprehensum in pago Helfendorf, in superiori Bavaria circa Monachū, in frustra articulatim dissecari iubet. Membra autem dissecta nauiculæ imposita, aduerso Danubio sunt Ratisbonam translata, ibidem sepeliuntur in sacello D. Georgij extra mœnia vrbs, præsentē Theodone Duce Anno 652. Theodo igitur, ut mors tanti Pontificis, cuius innocentia miraculo patefacta est, luertur, Vtram filiam in Italiam relegat, Landobertus fit profugus & in exilio perit. Iste Theodo Monasterij S. Haimerani primus extitit fundator, Anno 696. Sed Ioan. Auentin. libro 3. Annalium fol. 281. ponit, S. Haimeranum Pictavia, Noricorum vrbe, oriundum fuisse, quem vide, & quæ de ipso apud Episcopos Ratisponens. latiùs scripta sunt.

SEQUENTI anno, scilicet 697. Appollonius primus huius Monasterij Abbas præficitur. Erat tum idem Monasterium vix Capella Monachorum, sed postea per Simpertum Episcopum Ratisbonensem, iussu Caroli Magni, fuit magnificè inchoatum & perfectum. De licentia Tassilonis, Ducis Bauariae, aliqua traditiones ad casam constructam, in honore S. Petri & S. Haimerani sunt factæ; inter alias vna, anno Ducatus eius XIII. ex quo constat Ecclesiam fuisse ante Carolum Magnum constructam.

ANNO Domini 732. Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus Gaubaldum Episcopum Ratisbonensem constituit, qui primus in ordine fuit eorum, qui istam Cathedram & ordinariam Episcoporum successionem inchoarunt. Nam ante hunc fuere Episcopi tantum aduentitij. Sub hoc Gauboldo S. Haimeranus est translatus.

ANNO 752. Simpertus Ratisponens. Episcopus Monasterium S. Haimerani, iussu & sumptibus Caroli Magni Imperatoris V. magnificè (ut dictum est) incepit; sequenti anno S. Bonifacius martyrium subiit apud Frisones.

IN HOC S. Haimerani Monast. sepultæ quàm plures sanctæ & celebres personæ, inter quos idem D. Haimeranus primus est, deinde S. Dionysius Areopagita, magnus & Hierarchius Doctor, S. Pauli discipulus, Atheniensis Episcopus & Martyr gloriosus, qui vnà cum Rustico & Eleutherio, confortibus suis, sub Domitiano

Domitiano & Sisinnio Fescennino, Præfectorum apud urbem Parrisiarum Galliarum clarissimam, ad quam idem Dionysius à Clemente Pontifice Maximo missus fuerat, martyrio coronatus est, Anno Domini 99, Huius sanctissimi Martyris reliquiarum, per Arnolphum Imperatorem ex Gallia, una cum preciosissimo Evangeliorum Codice, quem Carolus Rex Franciarum, postea Imperator dictus Caluus, fieri iusserat, ad Monasterium S. Haimerani translatae sunt, Anno 900, pridie Decembris.

SANCTVS denique Wolfgangus, Ratisbonensis Episcopus, in Monasterio S. Haimerani corporaliter requiescit, cuius vitam vide in Catalogo Ratisbonensium Episcoporum. Vid. Tom. I  
pag. 193.

ARNOLPHVS item Imperator, Carolomanni Regis Bavariae apud Ottingen sepultus, ex illustri foemina filius, non tamen legitimus, in hoc Monasterio humatus est in Choro, pariter huius filius, Ludouicus Rex Rom.

HEMMA, præterea Regina, Ludouici Regis Bavariae filij, Ludouici Pij vxor, in Ecclesia S. Haimerani post altare S. Achatij requiescit. De qua remagna est contentio inter Emeranos & Moniales superioris Monasterij, quæ asserunt fundatricem apud ipsas sepultam, ac eius mausæolum ostendunt, nituntur diplomate Caroli Imper. Crassi filij fundatricis, cuius tenorem reperies apud Monast. superius. Econtra Hermannus contractus, magne fidei historicus ponit: Anno Domini 876. Hemma Regina Ratisbone obiit, & in Basilica S. Emerani sepulta est, &c. Vtrumque potest verum esse, primò apud S. Emeranum sepultam, postea ad Monast. superius locum noue suæ plantationis translata esse, quod sæpe contingit. Et putat Auent. lib. 4. fol. 442. mausæolum, quod apud S. Emeranum ostenditur, non esse Hemmæ, sed potius Vtæ Augustæ vxoris Arnolphi Imperatoris.

HEINRICVS primus, Bavariae Dux ex gente Saxonum, frater Ottonis Magni Imperatoris, dicitur in hoc Monasterio humatus, in quo loco non constat, Auent. in Annalib. fol. 500. Huius filius Henricus, Bavariae Dux II. cognomento rixosus, in Monasterio S. Haimerani, in sinistro latere prope Chorum, humatus est: E regione huius Henrici, Ducis Bavariae, patris Henrici sancti Imperatoris, hodie cernitur sepulchrum Arnoldi, Ducis Bavariae, cognomento mali, Vid. Auent  
ar. hist.  
Boicæ.

IN HOC Monasterio sepultus est etiam B. Rainuoldus, eius Monasterij Abbas, S. Wolfgangi patruelis, quem S. Wolfgangus è Treuirensi vocauit Cœnobio, & S. Emerani primò Præpositum, deinde Abbatem constituit, Anno 975.

ÆDIFICA VIT hic Ramuoldus cryptam sui nominis, in qua sibi sepulchrum, ante 15. annos quàm moreretur, designauerat, quam S. Wolfgangus dedicauit. In qua crypta iuxta aram S. Gregorij, & omnium Confessorum, humatus est cum hoc disticho:

*Signis clarescit pius hic Rainuoldus humatus,*

*Cælo fulgescit cælestibus associatus.*

Obiit Anno M. l. 15. Calendas Iulij.

CLARVIT miraculis quàm plurimis, vt patet ipsius historiam legenti. Huius Ramuoldi temporibus puella quædam, filia Regis Francie, Aurelia nomine, ob vitandum mariti commercium profuga venit ad Monasterium sancti Emerani, quam sanctus Wolfgangus collocauit in solitudinem, quæ nunc vocatur Sacellum sancti Andreae, iuxta urbem Ratisbonen. mœnia, vbi in vigiliis & orationibus 52. annis deuotissimè vixit, & Anno 1027. Idibus Octobris obiit, & in ambitu Monasterij S. Haimerani sepulta jacet, ad partem Australem, habens in superiori marmore hoc distichon.

*Metrop. Salub. Tom. II.*

Hh

Hic

*Hic pia florescit Aurelia virgo sepulta,  
Quæ panas nescit, cali dulcedine fulta.*

IN Aultrali ambitus plaga beatæ memoriæ Adalbertus, huius Monasterij Abbas sepultus, requiescit in cancello ferreo, cui<sup>9</sup> mausæolo inscripta hæc carmina:

*Floruit hic signis Abbas ALBERTVS optimis,  
Illius precibus IESV Rex parce redemptis.*

Obiit Anno 1177.

VIXIT sub Friderico primo, Imperatore Romano, à quo etiam obtinuit sententiam & rem iudicatam contra Margaretham de Thann, de non infeudandis mulieribus cum bonis ac prædiis Monasterij; de quo infra sub hoc Abbate. Inuentum est corpus Hemmæ Regine, vxoris Ludouici, Regis Bauariæ, inter ruinas murorum ex incendio Anno Domini 1163. collapsorum.

PRÆTER has celebres & præclarissimas personas in Monasterio S. Haimerani requiescunt 18. Episcopi Ratisbonenses.

IN SACELLO D. Benedicti sepultus est Warmundus, Comes de Wasserburg, habens in sepulchrali lapide hanc inscriptionem: Anno Domini 1010. in die S. Leonis Papæ, obiit Dominus Warmundus nobilis, Comes de Wasserburg, qui huic Monasterio dedit Hofmarchiam Vogtenreuth, hic sepultus, &c. Hic multa beneficia contulit Monasterio sancti Haimerani, hinc perpetuum à Monachis habet anniuersarium.

OTTO Landgravius de Stesling, Burggraviusque Ratisbonensis, iuxta limen ostij Ecclesiæ S. Haimerani, in porticu humili loco est sepultus.

HVIVS Nepotes, Otto & Fridericus, dederunt Monasterio suas partes, nec non partem Neptis ex fratre Henrico defuncto aquæ seu fontis ad Ort, quæ etiamnum hodie in maximum Monasterij commodum inde ducitur ex libro traditionum ibi, Vide Comites Rietenburgenses.

HILDRICVS, item Francorum Rex depositus, & Monasterio S. Emerani intrusus, ibidem sepultus est, circa Annum 751. Auentinus in compendio, sed vbi illius sit sepulchrum, incertum est, Ioan. Auent. eum in sepulchro Ludouici Regis in choro humatum esse credit.

GEORGIVS in super Marchio Moraviæ, Monachus Cassinensis, apud S. Haimeranum sepultus legitur.

HEMMA Abbatissa, soror Friderici Imperatoris, in ambitu Monasterij S. Haimerani sepulta scribitur, vbi, nescitur. Ita habet Chronica huius Monasterij, quænam ista Hemma fuerit, ignoratur, in Genealogia Fridericorum eam non inuenio, nisi forte naturalis fuerit. Est sepulchrum grandi marmore clausum, iuxta mausæolum S. Aureliæ virginis, cuius istud sit, non constat, legitur, quidem iuxta pedes jam dictæ Virginis ita: Leutuinus Gamarodus, Canonicus & Scholasticus matris Ecclesiæ. Sed dubium est, an idem Canonicus imaginem diuæ Aureliæ fieri curauerit, an verò ibidem requiescat.

CREDIBILE multò plures illustres personas in eodem Monasterio S. Haimerani sepultas, sed monumenta eorum frequentibus ruinis esse obruta.

REFERT Iohannes Auentinus, Ludouici Bauariæ Regis filium Ratisbonæ de fenestra cecidisse & expirasse, qui proculdubio in Monasterio S. Haimerani fuit sepultus.

BARO Comes Schirensis & Abenspergensis ibi quoque dicitur humatus, secundum Auent. vbi, nescitur, extat mausæolum retro altare magnum Chori maioris, sine inscriptione, quod sine dubio alicuius celebri personæ ossa continet.

EPISCOPI

*Leutuein  
Gamarod,  
qua fuit  
Ratisbona  
ampla ci-  
uitas sa-  
mua.*

EPISCOPI IN MONASTERIO S. HAIMERANI  
SEPVLTI SVNT HI ORDINE.

**G**AVBALDVS primus à S. Bonifacio institutus, quando Bauaria ab hæreticis fuit purgata, & in Parochias diuisa, præfuit annis 22.

**S**INDPERTVS secundus, qui iussu Caroli Magni Monasterium magnificè extruxit, sedit annis 24.

**A**DALBINVS tertius, hic iuxta decreta Canonum & cum autoritate Leonis Papæ, in præsentia piissimi Imperatoris, Caroli Magni, recta ratione, in Concilio Synodali, cum iudicio Episcoporum & Clericorum, nec non Nobilium, Laicorum, de Monasterio S. Haimerani Cathedralem Ecclesiam transtulit ad Ecclesiam sancti Stephani Prothomartyris, Anno Domini 798. iuxta diploma Ludouici Pij, filij Caroli Magni, sedit annis 24.

**B**ATVRICTVS quartus, Ratisbonensis Episcopus, annis 26. præfuit. Ab hoc Episcopo Hemma Regina accepit per modum Concambij superius Monasterium beatæ Mariæ virginis, in vrbe Ratisbona pro suo Monasterio in Mansce, *Vid. Tom. 1. pag. 189.*

**E**RCKANFRIDVS quintus, Ratisbonensis Episcopus, sedit annis nouem, electus est, imperante Lothario, eius nominis primo.

**E**MBRICHVS sextus sedit annis 30. Præsidere cœpit, imperante Ludouico secundo, tempore Leonis quarti.

**A**SPERTVS septimus sedit annis quatuor, præfuit Episcopatu Ratisbonens. regnante Arnolpho Imperatore & Stephano Papa.

**T**VRO octauus sedit annis 35. vsque ad tempora Conradi, Regis Romanorum, qui successit Ludouico tertio. Fuit Monachus & Custos Ecclesiæ S. Haimerani, acceptusque Arnolpho Imperatori, cuius etiam Cancellarius fuit. Huius Tutonis & S. Wolfgangi extant adhuc mauscola, cæterorum Episcoporum monumenta nimis sunt obruta, propter frequentia incendia. *Vid. Tom. 1. pag. 191.*

**I**SINGRINVS IX. electus est Episcopus Ratisbonensis, regnante Henrico primo, patre Ottonis primi, sedit annis 11.

**C**ONRADVS X. sedit menses tantum sex.

**G**YNTHARIVS XI. Episcopus Ratisbonensis, præfuit mensibus sex, sicut Conradus. Apud quosdam Conradus & Guntharius pro vno reputantur, ac sic S. Wolfgango duodecimus locus datur.

**M**ICHAEL Ratisbonensis Episcopus præsidere cœpit, tempore Ottonis primi, & Stephani Papæ, huius nominis VII. sedit annis 27.

**S.** WOLEGANGVS XII. Ratisbonensis Episcopus præsidere cœpit sub Ottonis primo siue secundo, sedit annis 22. fundator Monast. S. Pauli ibidem.

**G**EBHARDVS, huius nominis primus, præsidere cœpit, imperante Ottonis tertio, tempore Ioannis XVI. sedit annis 27. fundator Pruelensis Monasterij.

**G**EBHARDVS, secundus huius nominis, primum Augustensis Canonicus, eligitur Episcopus Ratisbonens. imperate Henrico sancto, Bambergæ sepulto, sub Ioanne XX. Præfuit annis 24. Chronica Episcoporum Ratisbonens. habet annos 13.

**G**EBHARDVS, tertius huius nominis, frater Conradi Imperatoris, sedit annis 19. sepultus in Monasterio Oringavv à se fundato, Anno 1060. Prædicta Chronica habet annos 24. suæ administrationis.

**O**TTO præfuit annis 40. Sub huius tempore septem fratres Scoti Ratisbonam venerunt, habitaueruntque extra mœnia vrbis, ad consecratum S. Petri Apostoli, vbi & sepulci dicuntur.

*Metrop. Salisb. Tom. II.*

H h 2

GEBHAR-

GEBHARDVS quartus, hic anno septimo suę electionis in Pechlarn non consecratus occiditur, & ibidem sepelitur.

HARTVICVS primus cœpit præsidere, imperante Heinrico quinto, tempore Pascalis secundi. Hic Monasterium Pruel ruinofum restauravit. Sub eodem Hartvico Monasterium S. Iacobi Scotorum consecratur, Anno 1116. Sedit annis 16.

CHVNO primus fuit Abbas in Siguert, præficitur Ecclesię Ratisboneñ. sub Lothario tertio, tempore Innocentij secundi. Sedit annis 5.

HENRICVS, Bambergens. Ecclesię Diaconus, filius Comitis Ottonis de Wolfratshausen, sedit annis 13. Hic año 1155. apud S. Haimeranum Monachus factus est. Hi omnes sepulti sunt in Monasterio S. Haimerani, in plaga aquilonari, in abside Ecclesię, sub & supra sepulchrum S. VVolfangi, vt hodie ibidem Pontificum imagines videntur., sed ob incendia frequentia Monasterij sepulchra eorum creduntur obruta, vt hodie nulla appareant monumenta. Hi omnes Episcopi ibidem sunt sepulti; exceptis, Gebhardo tertio, & Gebhardo quarto. De quibus vide fastiũs Episcopos Ratisboneñ. quorum Annales non omnino concordant cum his in annorum numero, & hoc propter vetustatem temporis.

REPERIVNTVR in archiuo huius Monasterij plurimorum Imperatorum ac Regum Romanorum vetustissima diplomata in pergameno scripta, cum sigillis intus ac extra more veteri impressis seu appositis, integra & illæsa, nisi quod vetustiora, præsertim Caroli Magni propter longos & intricatos caracteres, & frequentes abbreviaturas verborum difficulter legi possint, sunt tamen ibidem copię illorum legibiles: superscriptiones autem horum diplomatum, longè postea fortè per Monachum aliquem factæ, in numero annorum non conueniunt, neque illis fidendum est. Puto tot & tam ampla priuilegia & diplomata vix apud vllum Monasterium in Bauaria reperiri, quæ ego omnia oculis meis vidi ac perlegi: propter vetustatis memoriam lubet aliquorum breuibus meminisci.

CAROLVS Dei gratia, Rex Francorum & Longobardorum & Patricius Romanorum (scilicet Magnus) dat priuilegium immunitatis & exemptionis, vt solis Romanorum Imperatoribus ac Regibus subiectum sit, confirmans omnia à patre suo Pipino Rege, & ab antecessoribus suis data &c. sine Dato.

*Auent. lib.  
4. Annaliũ  
fol. 322.*

IDEM cum superiori titulo donat Monasterio magnum & latum spacium, terræ & pratorum, versùs meridiem prope Monasterium, quod tunc extra muros vrbs erat, iugera 266. & de prato &c.

ET vt hoc firmiter seruetur, manu propria, vt sonant verba, subter firmuimus, & annulo nostro sigillari iussimus. Data octaua Kalendas Martij, Anno 26. & 20. Regni nostri. Actum super fluuium Mœni, in loco nuncupante Francofurt, in Dei nomine feliciter. Amen.

SUPERSCRIPTIO habet, Anno 794. Hæc duo diplomata data sunt, antequàm Imperator fieret, quod Anno 802. factum est, & hoc propter titulum.

HLVDOVICVS d. f. cl. Rex, Caroli Magni filius, dictus Pius; Super translatione sedis Episcopalis, ab hoc Monasterio ad Ecclesiam S. Stephani, in ciuitate per Patrem Carolum Magnum, auctoritate Leonis Papæ, Anno 798. facta & super immunitate eiusdem Monasterij &c. sine Dato.

*Supra-  
scriptio. Anno  
835. alibi  
831.*

HLVDOVICVS Rex Boiariorum, filius Ludo. Pij, Nepos Caroli Magni, confirmat donationem Monasterio factam quarundam rerum in Hruchinga, aliter Polnikhoua & in Buochusa ab Erchanfrido, Diacono & Capellano, & propinquo suo Bathurico, anno Christo propitio 18. Imperij D. Hludouici serenif.

ferenissimi Augusti, Anno 6. Regni nostri, indict. 9. Actum Reginespurch in Palatio nostro.

IDEM Hludouicus Rex Boiariorum tradidit Monasterio castrum Harlumburch in oriente, in terra Auarorum &c. cum pertinentiis. Datum Anno 19. Imperij D. Hludo: sereniss. Augusti, & Anno VII, Regni nostri, indictione 2. Actum Reginespurch ciuitate.

Supra-  
p. 110  
Anno  
836. alibi  
832.

HORVM diplomatum copiam quære apud Episcopos Ratisbonenses sub Bathurico.

HLVDVICVS d. f. clementia &c. dedit Balthurico Episcopo, tunc temporis Præfili & Rectori Monasterij S. Haimerani, summo suo Capellano Sandolueshusen & Guntereshusen, atque Mandachechingen, cum mancipiis &c. à quo rursus accepit quasdam res Monast. quæ sunt in pago Huosi, in villa nuncupante Solzimos, quicquid ibi habere videbatur, id est, Ecclesiam cum vniuersis domibus, ædificiis, mancipiis, terris, syluis. Datum anno Christo propitio 2. Regni Ludouici, gloriosissimi Regis in orientali Francia, indictione 7. Actum Reganespurch ciuitate, in Dei nomine, Amen.

HLVDVICVS d. f. g. Rex confirmat omnem proprietatem ab Auo suo, D. Carolo Imperatore Monasterio S. Haimerani condonatum, & sibi à Barthurico Episcopo, Rectore ipsius Monast. rursus in beneficium concessam; ita vt post ipsius obitum, ad dictum Monasterium plenè reuertantur &c. Vt hæc diligentius feruentur, manu propria firmauimus, & Annuli nostri impressione assignari iussimus. Actum 5. Kalend. Augusti, Anno Christo propitio II, regni Hludo, Regis in Orientali Francia, Indict. VII, Actum Reganespurch ciuitate, in Dei nomine feliciter Amen.

Supra-  
p. 110  
825.

IDEM Hludouicus confirmat quandam traditionem, à quodam nobili Comite Wilhelmo Monast. factam de sua proprietate, inter fluuium Agastam & Nardinam, à locis vbi Danubium influunt, & vsque in Nordyvald, qui in super. tradiderat Rostorf, cum mancipiis, pratis, pascuis &c. Data 15. Kalend. Februarij, Anno Christo propitio XX, regni Hludo. serenissimi Regis, in Orientali Francia, Indict. V. Actum Reganespurg, vt supra.

Supra-  
p. 110  
habet,  
Anno 830.  
at cum sit  
eadem cum  
proxima sit  
pra. non  
conuenit  
hic nume-  
rus cum  
superiori.  
Supra-  
p. 110  
habet.  
835.

IDEM Hludouicus d. largiente gratia, Rex Boiariorum, confirmat Monasterio S. Haimerani quandam Ecclesiam, cum mancipiis & territorii pertinentibus, quæ sita est in prospectu fisci nostri, quæ nominatur Tinguluinga. Datum Anno XX. Imperij Hlud. serenissimi Regis, & Anno VIII, regni nostri, Indict. II. Actum Reginespurch, vt supra.

Supra-  
p. 110  
habet  
834.

CAROLOMANNVS Rex dedit cuidam Presbytero, dicto Iob, duas Huobas, cum octo mancipiis, in villa Stratlpach, in Comitatu Engildeonis, ita vt post ipsius obitum ad Monast. S. Haimerani reuertantur. Data 3. Nonas Decembris, Anno Christo propitio III. Domini Carolomanni, serenissimi Regis in Bauaria & in Italia. Actum Rantestorf curte regia, in Dei nomine feliciter. Amen.

Supra-  
p. 110  
habet  
875.

ALTERIVS diplomatis Carolomanni principium & finem, quod apud S. Haimeranum extare dicitur, ponit Ioan. Auent. lib. 4. Annalium fol. 446.

ARNOLPHVS d. f. cl. Imperator Augustus &c. fatetur, quod pro absolutione Antecessorum suorum Augustis, Imper. nec non pro salute sua & filij sui Ludouici, interuentu coniugis suæ O vte ciuitatem suam, quæ vocatur Ratispona, ob amorem & honorem Patroni sui S. Haimerani amplificauit & auxit, & eandem totam nouiter factam, cum 40. vineis in monte, qui est in ripa Danubij, iuxta eandem ciuitatem, prædicto S. Haimerano &c. nullo contradicente, tradidit, confirmans censum, quem de præfato Monasterio Carolus Magnus dedit Leoni Papæ, Successoribusque eius, & Actauius suis Eugenio Papæ, & Auus

Arnolphus  
Imperator  
amplificauit  
Ratisbona,  
& Monaste-  
rium inter  
muros in-  
clusi, quæ  
partem S.  
Haimera-  
no tradi-

*dit, et puto  
non tuam  
ninitatem.*

suus pius Ludouicus Nicolao Papæ &c. Et eandem Ecclesiam confirmat, in potestate Imperatorum & Regum, vsque in æuum permanere, quòd neque Imperator, neque Rex eandem Ecclesiam vlli omninò præstet, sub anathemate. Nam quòd patruus suus, Carolus Imperator., Embriconi venerabili Episcopo eam præstiterat, nullam postea victoriam neque prosperitatem habuit, vsque ad vitæ suæ finem &c. sine Dato.

*Vid Tom. I.  
p. 247.*

IDEM Arnolphus Imper. eidem Monast. confirmat & tradit quasdam magnas res, iniuste antea illi ablatas, in loco, qui dicitur Scanonua, iubens pluribus Comitibus & Nobilibus traducere Marcham &c. Datum anno Dominicę incarnationis 890. Indict. 8. anno III. regni Arnulphi piissimi Regis. Actum Mosapurch, regia ciuitate, in Dei nomine foeliciter. Amen.

IDEM tradidit Monast. Capellam in pago Tunckoe, ad curtem Regiam, que Vshusa dicitur, constructam, cum mancipiis, famulis, & omnibus rebus ad eandem Capellam ritè pertinentibus, Anno Domini 889.

*Meminit  
Monasterus  
in Cosma-  
gropia  
sua.  
Tom. I. p.  
248.*

NOBILIS quædam scemina, nomine Winpure, proprietatem suam, id est, curtem, quæ dicitur Nordilinga, in pago Retiensi. cum pertinentiis tradidit ad S. Petrum, preciosissimumque Christi Martyrem, S. Haimeranum, in manus Tutonis Episcopi Ratisbo. & Aduocati sui Garacharij perpetuò in proprium, cum Ecclesiis, bonis, decimatis curtibus.

ECONTRA eadem Winpure accepit de rebus prædictorum Sanctorum locum, Weimdinga nuncupatum, cum pertinentiis suis; ita vt ipsa ambas res, id est, Nordelinga proprium suum, quod traditione filij sui Zventipulchi adepta est, & Weimdinga ad dies vitæ suæ teneat. Post obitum autem illius ambo potestati prædictorum Sanctorum subijciantur in proprium. Arnolphus Rex confirmat. Datum 15. Kalend. Iunii, ab incarnatione Domini, 898. Indict. 1. Anno regni Arnulphi piissimi Regis II, Imperij eius III. Actum Reganespurch in Dei nomine foeliciter. Amen.

*Tom. I.  
pag. 249.*

HLVDVICVS Deigratia Rex, tradidit Tutoni dilecto Episcopo suo, per interuentum & consilium venerabilium Pontificum, Adalberonis & Erkam-poldi, ac aliorum fidelium suorum, Luipoldi scilicet dilecti propinqui sui, ac Gunipoldi Comititis, quasdam res sui proprij juris, in jus & in proprietatem beati Haimerani Martyris, hoc est, in pago Nordgeu, in Comitatu Luipoldi, in villa, quæ dicitur Teornichoua, quæ pertinebat ad Otinussam, quæ est contiguo loco, qui dicitur Sentilobach, cum mancipiis. Datum Anno Domini 903. Indict. VI. Anno verò Hludo. piissimi Regis IV. Actum Forcheim curte regia.

Hoc eodem anno dedit Monasterio priuilegium super libertate, exemptione & alijs prærogatiuis.

EODEM anno dedit Monasterio quasdam res, quas pater suus Arnolphus Imperator matri suæ Vtæ aliquando donauerat, ad preces matris suæ Curum, quæ dicitur Velda, cum regimine & Banno, cum mancipiis &c. Data secundo Idus Augusti, Anno 903. vt supra. Actum in Otinga.

ELLINRAT matrona, concubina Arnulphi Imp. tradidit S. Haimerano, in manus Tutonis Episcopi & Aduocati sui Imonis, proprietatem suam, id est, Capellam in Ergoltinga, cum alijs duabus Ecclesiis, cū decimis & mansis &c. Confirmat Conradus Rex. Datum Anno Domini 913. anno gloriosissimi Regis Conradi III. Actum ad Forchaim in Dei nomine. Amen.

IDEM concedit S. Haimerano decimam partem vectigalium in Ratisbona, ad continenda luminaria, admonente Adalberto Episcopo, Anno Dom. 916. Anno Regni Conradi Regis piissimi quinto. Actum Reganespurch.

IDEM

IDEM donat Forestum iuxta Sulzpach, cum forestario Syfrid perpetuo iure in proprium. Datum 8. Calend. Junij, an. 914. Indict. 2. anno Regni piissimi Regis *infr. lit. A.* Conradi III. Actum ad Forchaim, in Dei nomine. Otto primus seu Magnus Imperator ad preces Heroldi Salisburgensis Archiepiscopi, & Berchtoldi dilecti, fidelisque Ducis nostri, dono dedit Monasterio sancti Haimerani, cui Isingrinus fidelis noster Episcopus præest, locum, qui vocatur Helphindarf, cum foresto & forestariis atque venatione & nostro regio Banno: Insuper etiam & Nuichinga, in pago Sondergau, in Comitatu Abrahami Comitis, cum omnibus pertinentiis, in proprietatem. Datum 4. Kalend. Julij, Anno 940. Indict. 12. Anno regni IV. Actum in ciuitate, Salzburg dicta, in Dei nomine feliciter. Amen.

IDEM Otto Imperator partem hæreditatis cuiusdam nobilis viri, Diethmair vocati, in loco, Priemberch nuncupato, in pago Norgaue: in Comitatu Berchtoldi Comitis, sibi iudicio Scabinorum adiudicatam, cum omnibus iuribus prædictæ hæreditatis, S. Haimerano donauit, & tradidit, an. Domini 961. regni piissimi Regis XXI, Actum Regenfpurch.

IDEM Otto primus, Dei gratia Rex confirmat donationem Warmundi, Comit. de VVasserburg &c. his verbis: Quasdam res, quas iam antea quidam Comes noster Warmundus illis super annonam sibi deputatam, pro requie anime suæ tradidit, in loco Riut, iuxta Oenum fluuium, in pago Sondergoue, in Comitatu Ratholphi Chadahohi, Othocarij ac Sighardi Comitum, cum omnibus attinentiis, ea cum ratione, vt si Episcopus eidem Monasterio præsidens, vel alia potens persona, hanc traditionem infringere voluerit, cuncta, quæ tradita sunt, redeant in ius & potestatem D. Judith & filii eius Henrici Ducis, seu ipsorum hæredum. Data anno incarnationis Domini 959. anno regni piissimi Regis Ottonis XXIV. Actum Rora, in Deinomine feliciter. Amen.

EXTAT & alia Ottonis secundiconfirmatio, quasi iisdem verbis, de anno 980. anno regni Ottonis secundi XX. Imperij XII. actum Triburix.

CONFIRMAT eandem donationem Henricus sanctus Imperator, interuentu Kunegundæ coniugis suæ, Anno Domini 1021,

OTTO secundus, Imperator, donauit S. Haimerano Stainkirchen in Austria, *infr. lit. B.* & amplum spatium terræ, inter fluuium maiorem & minorem Erliffa dictum, & vsque ad Ips, supra & vsque ad montem, qui dicitur Buschnich; permisit etiã ibi propter infestationem Vngarorum Castellum construi, in confluentia fluuiorũ illorũ, in loco qui dicitur Zvvisela, an. Domini 979. an. verò regni secundi Ottonis XV. Imperij verò IX. Actum Ratisbonæ. Hoc diploma D. Lauren. Hochvart de Episcopis Ratisboneñ. ita refert, Wolfgangum Ratisboneñ. Episcopum in Auaria, inter Erlaffum maiorem & minorem, & Ibisum amnes, qui locus longo tempore desertus fuerat, Colonias Boiorum deduxisse, his Ottonẽ secundum Imperato. Castelli construendi, muniendique aduersus Vngaros diste. Datum vt supra.

QVIDAM mercator, Wilhelmus nomine, tradidit ad sanctum Emeranum *infr. C.* curtilia intra & extra muros Ratisbonæ & Eckolfing, cum mancipiis vtriusque sexus, per confirmationem OTTONIS secundi, Imperatoris, an. Domini 983. Regni verò secundi Ottonis XXV, Imperij autem XV. Indictione II. actum feliciter Veronæ. Amen.

IDEM Wilhelmus dedit Monasterio Alburch & Perg, cum mancipiis, in pago Tonagoue, in Comitatu Luipoldi, cum confirmatione eiusdem Ottonis secundi, eodem anno.

HEINRICVS sanctus Imperator confirmat Monasterio in genere omnes res & priuilegia sua, &c.

Hh 4

D. JV.

D. IVDITHA, Auia Heinrichi sancti, vnà cum filio suo Heinricho, Duce Bauariæ, tradidit sancto Haimerano talem proprietatem, qualem filius eius Hainricus, frater Hludouici, in loco Eifenhoua, in potestate habuit, curtem cum ædificiis ac reliquis curtilibus ac pertinentiis.

HEINRICVS sanctus confirmat eandem traditionem, olim à Duce Heinricho, Auo suo, de curte, Aitterhouen dicta, in pago Tunegovve, in Comitatu Adalberti Marchionis, cum pertinentiis.

FRIDERICVS Imperator confirmat Monasterio consuetudinem, quod in beneficiis seu feudis Ecclesiæ Pontificalis Ratisbonensis, atque illius Monasterij, qui pariter vno & eodem conditionis iure funguntur, scemina non succedant, ita Ratisbonæ per sententiam Principum fuit iudicatum: Testes, qui prolationi sententiæ adfuerunt, contra Margaretham de Tann, filiam Hartvici de Tann, Heinrichus Ratisbonen. Episcopus, Heinrichus Præfectus, Otto frater eius, Otto iunior Palatinus, Heinrichus, Comes de Wolfrateshusen, Ernestus Comes de Hochenburch, Fridericus frater eius, Conradus Comes de Raninge, Vdalricus de Stain, Altman de Sigenburch, Wernherus de Labere, Rueprecht, Wolff, Adalber de Poccespurch, Otto de Mosen, Erbo de Biburch, Engelhard de Ludébach, Vlricus de Petnlingen, Bobbo de Hertlingen, Durinhart de Pümehouen, & alij.

QVI verò Vlmæ, vbi factum est hoc priuilegium, præsentés erant, Herman Constantiensis, Conradus Augustensis, Conradus Wormacensis, Albertus Tridentinus, Episcopi; Albertus Elvvangensis Abbas, Welpho Dux Spoleræ, Berchtoldus Dux de Zeringen, Fridericus Dux iunior, filius Regis Conradi, Otto Palatinus de Witelinespach, Berchtoldus Marchio de Vochenburg, Heinrichus Burggravius Ratisbonensis, Heinrichus Comes de Wolferateshausen, Altmannus de Sigenburch, Bilgrinus de Woluntsa, Rupertus Wolf, Wernherus de Giebestorf, Albertus de Muffe, Hademar de Ahusen, Baldvvinus de Ratispona, Wernhard de Lengenueld. Datum Vlmæ anno Domini 1157. Regni eius V. Imperij verò II. Extatibi diploma.

MONASTERIUM S. Haimerani Romano Imperio, quo ad secularia, immediate subiectum est, à quo & regalia in feudum tenet. Albertus, Romanorum Rex concedit Abbati regalia feuda principatus. Idem fecit Ioannes Rex Bohemiæ, nomine patris sui Heinrichi, Imperatoris, tunc in Italia agentis, an. 1313. his verbis: *Verleichen ihme sein Fürstenthumb vnd Regalia.*

ITEM Wenzeslaus Rex, Rupertus, Rex, in feudum concedit regalia & secularia feuda an. 1401. idem postea, an. 1405. *Lehenschaft vnd Mannschafft* &c. vnde & Princeps Imperij ab illis Imperatoribus ac Regibus nominatur. Ludouicus Imperator quartus ita illi scribit: Dilecto nostro Principi, Alberto Abbati S. Haimerani Ratisbona, an. 1332. Ludouicus Marchio, filius Ludouici quarti, vocat eum *den Ersamen Geistlichen Fürsten Anno 1348.*

PRINCIPES Bauariæ sunt Aduocati ac defensores huius Monasterij, quo ad ea bona quæ in Bauarica ditione, vbi certè pleraque ac meliora sunt sita. De qua re extat documentum in registratura Alberti Ducis, Com. Hollandiæ, in pergamento scriptum: cætera sicut & ipsum Monasterium ad Romanum Imperium spectant.

### CATALOGUS ABBATUM S. HAIMERANIRATISPONÆ.

APPOLLONIVS primus Abbas præficitur huic loco, an. Domini 697. quibuslibet. 710.

SAN

SANDRADVS secundus Abbas, obiit anno Domini 735. Præfuit annis 25. menses 7. dies 26.

ALABOLDVS tertius Abbas, obiit anno Domini 752. Præfuit annis 16. menses 11. dies 7.

BABO quartus obiit anno Domini 778. Præfuit annis 25. menses 10. dies 26.

SIGISMVNDVS quintus Abbas obiit anno 798. à Carolo Magno constitutus. Præfuit annis 18. menses 5. dies 10.

RICHPALDVS sextus Abbas, obiit anno 822. eundo ad curiam Imperatoris Ludouici primi: ab eo impetrauit confirmationem immunitatis, Monasterio à Carolo Magno datæ, vide Episcopos Ratisponenses. Præfuit annis 16. menses 9. dies 16.

SIGEFRIDVS septimus Abbas, obiit anno 830. Præfuit annis. 7 menses 9. dies 13.

HIC dedit Monasterio propria sua bona, Præposituram in Lauterpach cum pertinentiis anno 820. an. Baturici Episcopi quarto, Imperatoris Augusti Hludouici septimo, cuius familiæ hic fuerit, propter vetustatem ignoratur.

Post septem Abbates supra dictos vacauit Prælatura Monasterij S. Haime-rani annis 155. alias 145. Nam Episcopi Ratisboneñ. se in tromiserunt de ordina-tione & regimine dicti Monasterij, consentientibus Imperatoribus, vsque ad tempora S. Ramuoldi, patruelis S. Wolfgangi, quem item Pius Pontifex à Tre-urenfi vrbe vocatum, constituit Abbatem.

S. RAMVOLDVS, octauus Abbas, captus per Ottonem secundum Imp, in bello contra Heinricum, Ducem Bauariæ, patruelem suum, eò quòd illi ad-hæreret, & Treuerim relegatus, Auent. lib. 5. fol. 503. obiit anno Domini 1001. Præfuit, annis 26. mensibus quinque, dies 17.

WOLFGANGVS nonus Abbas, obiit anno 1006. iniuste deponitur. Re-xit annos 5. mens. 1. diem 1.

RICHLDVS decimus Abbas, obiit anno 1028. Sedit annis 22. mense v-no, diebus 28. cæcitate percussus, obiit, &c.

HARTWICVS vñdecimus Abbas, obiit anno 1030. qui sponte resignauit. Rexit anno 1. mens. 10. diebus 28.

BVRCKARDVS XII Abbas, obiit anno 1037. Sedit annis 6. mensib. 8. dieb. 8. Romæ apud S. Petrum sepultus.

VDALRICVS primus, XIII. Abbas, obiit anno 1044. Præfuit annis 7. mensib. 11. dieb. 29.

ECKENPERTVS XIII. Abbas, obiit anno Domini 1045. Præfuit anno 1. mens. 10. diebus 13.

PERINGERIVS XV. Abbas huius loci simul, & Tegernsee, obiit an. 1049. Rexit annos 3. mens. 6. dies 13.

REGINBARDVS XVI. Abbas, obiit anno 1064. Sedit annis 14. mens. 10. diebus 28. Hic reperit ossa S. Dionysij.

EBERHARDVS XVII. Abbas, huius loci simul & Tegernsee, obiit anno 1070. Rexit an. 6. menses 4. dies 11. in Tegernseensibus Annalibus dicitur obi-isse, anno 1091. 5. Idus Maij.

RVPERTVS, XVIII. Abbas obiit anno 1095. Præfuit annis 25. mense 1. die-bus 8.

REINHARDVS XIX Abbas, obiit anno 1110. Præfuit annis 15. mens. 11. diebus 17.

THEO-

*Vid. Tom. 1  
R. P. Rader.  
de SS. Ba-  
uar.*

THEODERICVS siue Dietricus, XX. Abbas, obiit anno 1129. Sedit annis 19. mensibus 3. diebus 7.

ENGELFRIDVS XXI. Abbas, obiit anno Domini 1143. Rexit annis 13. mensibus 4. diebus 11.

BERCHTOLDVS Admontensis XXII. Abbas, obiit anno 1149. Præfuit annis 6. mensibus 3. diebus 19.

B. ADALBERTVS, XXIII. Abbas, obiit anno 1177. Rexit annos 27. menses 6. dies 5. Sub eius regimine Monasterium istud totum combustum est.

PERINGERVS secundus, XXIV. Abbas, Reipub. consulens, obiit anno 1201. Sedit annis 23. menses 10. dies 22. Hic fecit aquæ ductum.

EBERHARDVS secundus, XXV. Abbas, obiit anno 1217. Præfuit annis 16. mensibus 2. diebus 28.

VDALRICVS secundus, XXVI. Abbas, obiit anno 1220. Præfuit annis duobus, mensibus 9. diebus 20.

BERCHTOLDVS secundus, XXVII. Abbas, obiit anno 1235. Rexit annos 15. menses 6. dies 26. Hic instituit oblagium.

WVLFINGVS XXVIII. Abbas, obiit anno 1247. deponitur. Sedit annis 11. mensibus 4. diebus 28. Hic fecit campanam *Dreyerin*.

VDALRICVS XXIX. Abbas deponitur, per Leonem Episcopum Ratisbonensem, obiit anno 1263. Hic assumptus fuit de superiori Altach. Rexit annis 8. deinde factus Abbas in Ahausen. ex vetusto libro traditionum. De hoc Vlrico vide supra in Adalberto, XXX. Episcopo Ratisbonen.

FRIDERICVS de Teurn, XXX. Abbas, obiit anno 1271. Sedit annis 8. mensibus 7. diebus 9. Hic obtinuit mitram pro se & successoribus.

VDALRICVS de Prunn, XXXI. Abbas, obiit anno 1271. fuit vir brevis stature, velut alter Zachæus. Rexit menses 3. & dies 9.

HAYMO XXXII. Abbas, obiit anno 1275. Hic multum laboravit pro libertate Monasterij. Rexit annos 3. mensibus 3. dies 29.

WOLFGANGVS XXXIII. Abbas, obiit anno 1280. Hic fuit intrusus, & sponte resignavit. Sedit annis 5. mensibus 2. dies 4.

WERNHERVS XXXIV. Abbas, obiit anno 1292. Rexit annis 11. mensibus 7. diebus 19. Hic fuit prius Abbas in Prufening.

CAROLVS XXXV. Abbas obiit anno 1305. Sedit annis 13. menses 8. dies 11. Hic fuit prius Camerarius, volebat cellam sui ordinis erigere, in loco qui dicitur *Böhaimisch Bruch*, & multis vicinis possessionibus dotare; Episcopus Ratisbonensis Conradus consentit, donat proprietatem illius loci ad ipsum pertinentem. Rudolphus, Comes Palatinus, Dux Bauariæ, dat ius patronatus in Mospach, cum suis fructibus, anno 1299. an aliquid secutum vel non, nescio.

HENRICVS XXXVI. Abbas, dictus de Winzer, obiit anno 1312. Præfuit annis sex, mensibus 7. diebus 16. Vide Auent. lib. 7. fol. 753.

BALWINVS XXXVII. Abbas obiit 1324. & in ciuitate Auinione sepultus. Præfuit annis 12. mense 1. diebus 26.

ALBERTVS XXXVIII. Abbas, obiit anno 1358. de Schmitmül ortus. Sedit annis 31. menses sex. dies 17. Hic construxit Bibliothecam, anno 1346, emit Pentling, cum pertinentiis, à Dñ. Dietrico de Avv, anno 1329. Vide Avver de Brenberg, in libro Stemmatum Bauariæ.

ALTHO, dictus Tannstainer, XXXIX. Abbas, obiit anno 1385. Præfuit annis 27. menses 3. dies 5.

FRIDERICVS de Weidenberg, XL. Abbas, obiit anno 1395. Sedit an. 10. mensib. 5. die 1. Huius tempore dormitorium incineratur, salua S. Colomanni Capella subtus dormitorium, quasi in medio ignis, &c. Fridericus Abbas vno anno reparauit, an. 1387.

IOANNES Havvner, XLI. Abbas, obiit anno 1402. Rexit an. 7. mensem 1. dies 20. Sepultus in Capitulo.

VDALRICVS Pettendorfer XLII. Abbas obiit anno 1423. Sedit annis 20. mens. 6. dieb. 23. Hic sustinuit multas aduersitates propter confirmationem.

WOLFHARDVS Straus, XLIII. Abbas hic vtilis Monasterio fuit an. 1457. Abbatiam resignauit, obiit an. 1454. Rexit annis 27. mens. 7. die vno.

HARTVNGVS Pfersfelder, XLIV. Abbas, obiit ann. 1458. Sedit an. septē, mensibus 9. diebus 22. Hic fuit Abbas in Michelsfeld, & in monte Monachorum Babenbergæ.

CONRADVS Pebenhauser, XLV. Abbas, obiit an. 1465. Rexit annis sex, mensibus 7. diebus 7. Sub hoc. 16. fratres ex Conuentu vno mense peste interierunt.

MICHAEL Teyer, XLVI. Abbas, obiit anno 1471. Præfuit annis sex, mens. 2. dies 4.

IOANNES Tegernpeck XLVII. Abbas, obiit an. 1493. Sedit annis completis, non plus nec minus, 22.

ERASMVS Mûnzer XLVIII. Abbas de Napurck ortus, obiit anno 1517. Rexit annis, 23. mens. 7. die vno.

AMBROSIVS Mûnzer, XLIX. Abbas, obiit anno 1535. Sedit annis 18. menses 4. dies 18. filius fuit fratris Antecessoris sui Erasmi Abbatis.

LEONHARDVS Pfenningman, L. Abbas, obiit anno 1540. Præfuit ann. 5. menses 2.

ERASMVS Nitenaer, LI. Abbas, obiit anno 1561. vir per omnia laudabilis, bonus Oeconomus. Sedit annis 21. minus 60. dies.

BLASIVS Baungartner, LII. Abbas, de Geisensfeld oriundus, obiit 1575. Optimè hic quoque præfuit, Hainspach arcem & Hofmarchiam, ac alia multa prædia emit.

AMBROSIVS Mairhofer LIII. Abbas vnanimiter electus, anno 1575. Hic sequens vestigia prædecessorum hodie adhuc laudabiliter vt bonus Oeconomus præest. Ibrichingæ loco æditiore pulchram domum construxit, hinc in totum ferè pagum Danubij Tunagou prospicit. Turrim campanarum præ vetustate ruinofam destrui, ac ex fundamentis quadrato lapide maximis impensis nouam fieri curauit, insigne ac magnificum opus & laude, & æternitate dignum.

SVNT ibi Sepulti, extra Imperatorum, Regum, Principum ac Episcoporum, sepulchra.

Comites de RIETENBURG,

Comites de WASSERBURG,

Domini de ABENSPERG,

Nobiles de HABSPERG.

### ADDITIONES.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Otto diuina fauente clementia Rex. Nouerint omnes nostri fideles tam præsentés quam futuri. Quali-

ter


A.  
Sequentia  
Diplomata  
Germanica

ter in his modernis. Reuerendissimus Dominus Abbas Monasterij S. Emmeramms.

ter nos ob amorem Dei, genitricisque illius, nec non & omnium sanctorum, & pro remedio animæ patris nostri, & ob æternæ retributionis augmentum, nec non & per interuentum fidelium nostrorum *Heyolti Salzbürgensis* Ecclesiæ venerabilis Archiepiscopi, sed & *Berchtoldi* dilecti fidelisque nostri ducis ad Monasterium quod in *Radesbona* in honore sancti *Petri* Principis Apostolorum, & sancti *Hemmerammi* martyris constructum esse videtur. Et cui *Istingrinus* venerabilis ac fidelis noster Episcopus tunc præesse videbatur, locum qui vocatur *Helphindorf* cum foresto & forestariis atque venatione, nec non & nostro regio banno. Insuper etiam & *Niubinga* in pago *Sundergeuue* in dominio *Abrami* Comitis cum omnibus ad eundem locum & forestum iure legitimeque pertinentibus mancipiis viriisque sexus, & aureariis, cidelariis, pariscalchis, mansis, terris, cultis & incultis, ædificiis, agris, pratis, pascuis, æquis, aquarum, que decursibus, molendinis, piscationibus, viis & inuiis, exitibus & reditibus, quæ sitis & inquirendis in proprietatem donauimus. Quia quicquid ad loca sancta impediendorum, & ad clerum sustentandum & peregrinos suscipiendos concedere curauimus, Deum nobis pro hoc propitiatorem promereri confidimus. Hæc etiam prætitulata loca, ea videlicet potestate & securitate, qua huc vsque ad nostrum seruitium per omnia deseruire videbantur, ad prænotatum sanctum Monasterium, omni dubietate & discretione remota firmiter transfundimus. Et vt hæc largitatis nostræ constitutio firmiorem apud posteris nostros perfectionis tenorem obtinere valeat, manu nostrâ subtus firmari curauimus, & annuli nostri impressione sigillari iussimus.

f impendi-  
mus.

Signum Dñi *Otonis*



inuidiissimi regis.

*Poppo* Cancellarius ad vicem *Henrici* Archicapellani subnotauit. Data III Id. Kl. Iun. Anno Dominicæ incarnationis D. CCCC. XL. Indiæ. XII, anno autem regni *Otonis* piissimi regis IIII. Actum in ciuitate *Salz* dicta, in Dei nomine, Amen.

- B. **I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Otto* diuina fauente clementia Imperator Augustus. Si erga diuinis cultibus mancipata loca propter amorem Dei eorumque in eisdem locis sibi famulantibus beneficia oportuna largimur, præmia nobis apud Deum in æterna beatitudine recipere confidimus. Proinde notum sit omnibus, sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus nostris præsentibus & futuris, quia vir Venerabilis *Wolfgangus Reganesburgensis* Ecclesiæ Episcopus, quæ est constructa in honorem S. *Petri* Principis Apostolorum, nec non etiam sancti *Emmerammi* martyris Christi, adiens celsitudinem culminis nostri innotuit auctoritati nostræ in terra quondam *Auarorum* iuxta fluuiolum qui *Erlassa* dicitur, locum quendam esse qui *Steinachiricha* nominatur, quem per multorum annorum curricula desertum ipse de *Bauuaria* missis colonis incolis fecit. Qui vt tutiores sibi ab infestatione *Vngrorum* manere possent, petiit nostram serenitatem locum quendam inter maiorem & minorem *Erlassam* situm, vbi ipsi conueniunt, castellum ad construendum, qui vocatur *Zuisla*. Cuius deprecationem propter diuinum amorem & reuerentiam sanctorum prædictorum libenter annuimus, & ipsum locum perpetuo possidendum eidem concessimus Ecclesiæ, ab eo loco videlicet, vbi prænominati fluuioli confluunt, vsque in *Ibisa* vbi ipsum flumen huic confluuii *Erlassarum* proximum est & sursum versus per  
licus

litus *Ibise* vsque in riuum qui dicitur *Zucha*, & per hunc vsque in montem qui dicitur Sclauanice *Rüznic*. Ab orientali autem parte litus maioris *Erlasse* vsque in montana, propter munitionem locorum, huic donationi terminum statuimus. Et quidquid nostri iuris est ad donandum infra hos terminos ad S. *Petræ* sanctumq; *Emmerammum* perpetuo iure contradimus. Et si minus quam VI. regales mansi arabilis terræ nostri iuris infra terminos præscriptos inueniatur, vbi proxime iuxta prædictum castelli locum habeamus ex vtraque ripa *Erlasse* suppleatur. Has itaq; res & quidquid in posterum siluarum extirpatione omnique alia cultura amplificetur, absq; vllius personæ obstaculo, cultis & incultis, quæsitis & inquisitis, ædificiis, pratis, pascuis, siluis, aquis, aquarumque decursibus, riuus cū riuaticis, molendinis, piscationibus, viis & inuis omnib. ad iam dictū terminum iuste legitimeque appertinentiis ad ipsius Ecclesiæ vtilitatem firmiter tradidimus. Ita videlicet, vt supra memoratæ sedis rectores ob Ecclesiæ commoditatem liberam habeant potestatem faciendi quidquid elegerint. Et vt nostræ largitionis auctoritas firma perseueret, annuli nostri impressione sigillari iussimus.

*Hilboldus* Ep̄s & Cancellarius vice *Wiligisi* Archicapellani cognoui.

Data II. Idus Octobr. anno Dominicæ incarnationis D. CCCC. LXXIX. Indict. VI. anno verò regni secundi *Otonis* xv. Imperij autem IX. Actum *Radaspone*, in Dei nomine feliciter, Amen.

Signum Dñi *Otonis*



Magni & inuidiissimi Imperatoris *Augusti*.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Otto* diuina dispensante clementia Imperator. Notum fieri cupimus omnib. fidelibus nostris, præsentib. scilicet ac futuris, qualiter quidam mercator noster *Wilhelm* dictus à prædecessoribus nostris libertate donatus, & vxor eius *Heilrud* vocitata tradiderunt ad S. *Emmerammum* in *Ratesbonensî* ciuitate & Monachis inibi Deo seruientibus, quicquid prædij & mancipiorum tunc tempore habuerunt, exceptis quatuor mancipiis, pro animarū suarū remedio, ac mercedis æternæ desiderio, ea vero pactione vt suæ finetenus vitæ potestatiue vsui potirentur viuendi. Post amborum de hac luce discessum integre pertinerent ad S. *Emmerammis* fratribus seruiendū, quod ita factum est publicè testium affirmatione & iureiurando qui eidem traditioni præsentibus interfuerunt. Similiter & primi iudices comitatum *banno* constricti & iuramento idem testificati sunt. Hæc sunt loca, id est *Elpure* & *Perc* cum mancipiis in pago *Tuonalgeuui*, in Comitatu *Luidpolti*. Nos verò hæc audientes propter amorem Dei & S. *Emmerammis* & per venerabilis *Wolfgangi Reginensis* Episcopi petitionem, nec non & *Rumuoldi* eiusdem Canobij Abbatis fidei nostri interuentui satisfaciētes, hanc traditionem Imperiali auctoritate nostra renouauimus, & eadē loca cum appendiciis suis, hoc est curtilia cum ædificiis, villis & casis, vineis, & vinitoribus, agris, pascuis, siluis, aquis, aquarumq; decursibus, piscationibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, quæsitis & inquirendis, mancipiis vtriusq; sexus, exceptis supradictis IV. omnique legitima cautione ad altare scil. *Emmerammis* martyris & fratrum vsib. seruienda cum omni integritate concessimus nemine contradicente e fiscalis potentie siue alicuius consanguinitatis eorum contradictione. Et vt hæc concessionis nostræ auctoritas firma ac stabilis permaneat in futuris temporibus, hoc præsens præceptum

*Metrop. Salisb. Tom. 1b.*

ii

iussimus

iussimus inde conscribi, & annuli nostri impressione sigillari, & subtus manu propria corroborauimus.

Signum Dñi Ottonis



Magni & inuictissimi Imperatoris Augusti.

*Hildeboldus* Episcopus & Cancellarius vice *Willigisi* Archicapellani notauit Dat. Non. Iun. anno incarnationis Dñi D. cccc. lxxxiiii. Regni secundi Ottonis xxv. Imperij autem xv. Indiēt. xi. Actum feliciter *Verone*. Amen.

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Henricus* diuina fauente clementia Rom: Imperator Augustus. Imperialem nostri nominis excellentiâ hoc scimus exigere, imo ad statum regni & ad salutem animæ nostræ multum proficere, quosque diuini seruitij amatores, vt sine quærela in Dei persistant laude, libertatis nostræ sustentaculo confortare, maxime autem eos, quorum, laboris deuotio, diuino præ cæteris inuigilat obsequio. Proinde nouerit omnium Christi nostrique fidelium vniuersitas, qualiter nos diuinæ remunerationis spe incitati, interuentu etiam dilectæ coniugis nostræ *Kunegunde* Imperatricis Auguste, & venerandi *Richolphi* Abbatis communiti, cuidam Ecclesiæ Dei infra ciuitatē *Ratisbon*. in honorē pretiosi Dei martyris *Emmerami* constructæ. vbi venerabile corp⁹ eius miraculis declarantib. requiescere comprobatur, oīa quæ ab antecessorib. nostris, Regib. vel Imperatoribus, oībusque Christi fidelibus, vel infra ipsā *Ratisbon*. ciuitatē, vel in suburbio eius, vel vbi cunq; locorū hactenus tradita sunt & collata, per hanc imperialem paginam in perpetuum confirmamus, & absq; omnium hominū contradictione in propriū largimur, ea videlicet ratione, vt nec Ep̄s eiusdē loci, nullaque iudicialia vel Ecclesiastica potestas, aliquā habeat potestatem prænominata bona præfata Ecclesiæ auferre, vel vsib. fratrum ibidē sub Monachica institutione Deo seruentium abalienare, sed prædict⁹ *Richolfus* eiusdē loci Abbas, suiq; successores liberam exinde habeant potestatem, quicquid eis placuerit faciendi, ad vtilitatē tantummodo fratrum ibidem subregula *S. Benedicti* Deo sanctoq; *Emmeramo* famulatiū. Et vt hæc nostræ confirmationis & lagitionis auctoritas stabilis & inconuulsa omni permaneat æuo, hoc præceptum inde conscriptum propria manu corroborantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri,

Signum Dñi *Henrici* inuictissimi Rom: Imperatoris Augusti *Gunterius* Cancellarius ad vicem *Erckinbaldi* Archicapellani recognoui. Datum vero Non. Iulij, Indiēt. i. Anno Dominicæ incarnationis M. xxi. anno verò Domini *Henrici* secundi regnantis xx. Imperantis viii. Actum *Colonia* feliciter, Amen.

*Hofmarch.*  
Vogt à  
*Reuth.* cō.  
firmatio.

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Henricus* diuina fauente clementia Rom: Imperator Augustus. Imperialē nostri nominis excellentiam hoc scimus exigere, immo ad statum regni, & ad salutē animæ nostræ multū proficere, quosq; diuini seruitij amatores, vt sine quærela in Dei persistant laude, liberalitatis nostræ sustentaculo cōfortare, maxime autē eos, quorū laboris deuotio diuino præ cæteris inuigilat obsequio. Proinde nouerit omnium Christi nostrique fidelium vniuersitas, qualiter nos diuinæ remunerationis spe incitati, interuētū etiā dilectæ cōiugis nostræ *Kunegunde* Imperatricis Augustæ, & venerandi *Richolphi* Abbatis communiti, cuidam Ecclesiæ Dei infra ciuitatem *Ratisbon*, in honorem pretiosi Dei martyris *Emmerami* constructæ, vbi venerabile corpus eius miraculis

culis declarantib. requiescere comprobatur, quandam nostri iuris curtē *Ruitte* dictā, in pago *Chimēgōrve* in Comitatu *Baboni* Comitis sitā, quā quidā nobilis homo *Warmundus* Comes eidem Cœnobio antea contulit, cum omnib. appendiciis, villis scilicet, arcis, agris, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, vado, molendinis, piscationibus, exitibus & redditibus, viis & inuis, quæfitis & inquirendis, siluis & venationibus, famulis etiā vtriusq; sexus, cæterisq; quæ quolibet modo dici aut scribi possunt, vtilitatibus. ad eandē curtē iure & regaliter pertinentibus. per hanc imperialē paginā in perpetuū largimur, eiusdē *Warmundi* Comitis traditionem ppetuo iure prædictæ Ecclesiæ confirmam⁹. Ea videlicet ratione, vt nec Ep̄s eiusdē loci, nullaq; Ecclesiastica vel iudiciaria potestas aliquā habeat potestatem, prænominatam curtē præfatæ Ecclesiæ auferre, vel vsib. fratrum ibidē sub Monachica institutione Deo seruientiū abalienare, sed p̄dict⁹ *Richolfus* eiusdem loci Abbas, suiq; successores, liberam exinde habeant potestatem, quicquid ei placuerit faciendi, vt vtilitatem tantummodo fratrum ibidem sub regula S. *Benedicti* Deo, sanctoque *Hemmeramo* famulantium, omnium hominum contradictione remota. Et vt hæc nostræ largitionis & confirmationis autoritas stabilis & inconvulsa omni permaneat æuo, hoc præceptum inde conscriptum propria manu corroborantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri. Data V. Non. Iulij, Indict. I. I. an. Dominicæ incarnationis M. XXI. Anno vero Dñi *Henrici* secundi regnantis XX. Imperantis VIII. Actum *Coloniæ* feliciter, Amen.

**L**VCIVS Ep̄s seruus seruorum Dei, dilectis filiis *Berchtoldo* Abbati & Conuentui Monasterij S. *Emmerami* salutē & Apostolicā benedictionem. Autoritate sedis Apostolicæ, cui disponēte Domino præsidemus, compellimur, vt loca venerabilia, præsertim quæ B. *Petri* iuris existant, atq; personas inibi Deo famulantes, diligamus, & earum quieti & vtilitati salubriter auxiliante Deo providere curemus. Huius itaq; rationis intuitu vestris rationabilibus petitionibus, aŭuentes Monasterium in *Ratisbona* ordin. S. *Benedicti*, in honorē Beatiss. *Petri* Apostolorū Principis, & preciosi martyris *Emmerami* constructum, quod vtiq; Christianissimus Rex *Carolus* Magnus, S<sup>mo</sup>. *Leoni* Papæ futurisq; Rom: Pontificibus obtulit; ipsorum tuitione perpetuo conseruandum, ad exemplar recolendæ memoriæ *Leonis* Papæ prælibati in Apostolorum principis ius protectionemq; suscipim⁹, & apostolicæ sedis patrocinio comunimus. Statuentes, vt quascunq; possessiones siue Ecclesias cum decimarum oblationibus, ac alia bona, quæ idem Monasterium in presentiarum iuste & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, oblatione fidelium, siue aliis iustis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisq; successoribus & illibata permaneant. Obeunte vero te nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus inibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilij sanioris secundū Dei timorem & B. *Benedicti* regulam præuiderint eligendum. Porro circumuentium Abbatum subire iudicium non cogamini, nisi forte illorum, qui ad ius & proprietatem sedis Apostolicæ pertinent, cum Ecclesiasticæ necessitatis causa exegerit. Permittimus insuper eiusdem Monasterij Abbatem cum sandaliis & dalmatica Missarum officia celebrare, consecrandum etiam ab eo Ep̄scopo, quem cuncta fratrum cohors conuocauerit. Illum etiam antistitem qui ciuitati *Ratisbonen*. nunc præesse dignoscitur, illumq; pariter, qui postea ipsum Ep̄scopatum susceperit regendum, nullam contrarietatem, nullam donationem in prædictū Monasterium extendere hac autoritate sedis apostolicæ prohibem⁹, ita quod nulla conciliabula ibidem aliquis incipiat prætere, nec quaslibet partes Eleemosynarum, quæ ad vsu Monasterij à fidelibus collat fuerint in su-

am. sortem exigere, neque decimas, neque terras, neque Ecclesias, neque thesauros, neq; libros, neq; aliquid ab Imperatorib. & Regibus concessum, vel ab aliis Christi fidelib. postea oblatum attentet auferre. Cella verò vestra tali gaudeat dignitate redimita, vt si quis infra eius septa alteri manus iniecerit violentas, huius priuilegij Decretum cum fuerit ei intimatum, ex ipso facto excommunicationis nouerit se vinculo innodatum, cuius absolutionis dispensatio, cum prouide satisfecerit Abbati sit indulta. Insuper mansuro in perpetuum, Decreto sancimus, vt nulli omnino hominum liceat in vestro Monasterio alias proprietatis condiciones, vel hereditario iure aduocationem aut inuestiturā, seu quamlibet potestatem, quæ libertati & quieti fratrum noceat, vendicare, Aduocatus sanè, qui utilior esse videtur, ab Abbate & fratrib. instituat, qui postmodum Monasterio & fratrib. inutilis fuerit, remoto eo alter praficiatur. Ad iudicium verò à Romana Ecclesia perceptæ libertatis, nobis VII. aureos singulis annis persoluetis. Igitur vt hæc à nobis ordinata cunctis maneat in conuulsa & inuiolata temporibus, per huius nostri Decreti paginam, constituimus, modis omnibus vniuersis cuiuslibet Ecclesiæ præfatis, clericis Laicisq; omnib. cuiuscunq; honoris dignitate ac potestate præditis, interdicentes, colligantes etiam sub anathematis vinculo, vt cum Iuda in æternum crucietur, quicumque huius seriem, nostrę institutionis ausus fuerit euertere. Huius, nisi respiscat, auferat Deus partem de terra viuientium, & nomen eius deleatur de libro vitæ. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus, sit pax Dñi nostri Iesu Christi, quatenus & hic bonæ actionis fructum beatum percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis & gaudia inueniant, Amen. Ego *Lucius* Catholicus Ep̄s SS. Ego *Conradus* Sabinensis Episcopus SS. &c.

Datum *Laterani* per manum Baronis Capellani & scriptoris XIII. Cal. Apr. Indiçt VI. Incarnationis Dominiçæ an. MCLIII. Pontificatus vero Domini *Lucij* secundi Papæ anno I.

*Prinuilegiū  
Fridericī  
Imperato-  
ris. I. de nō  
infeudan-  
dis mulie-  
ribus.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Fridericus* diuina fauente clementia Rom. Imperator semper Augustus. Decet oēs Christianæ fidei amatores religionē diligere, & loca venerabilia diuino obsequio mancipata congrua deuotione fouere. Ecclesia S. *Hemmerami* largissimis prædecessorum nostrorum priuilegiis honorata, hanc meruit in suis possessionib. habere prerogatiuam, vt beneficia de manu Abbatis ipsius Ecclesiæ largienda, ratione successionis nunquā infeminarum transeant potestatem. Contigit autem quendam beneficiatorum & ministerialium eiusdem Ecclesiæ *Hartuicū de Danne* nostro tēpore sine masculinis hæredib. à vita discedere, & beneficium quod tenuerat, in Abbatis arbitrio remanere, quod videlicet beneficiū defuncti illius filia nomine *Margaretha* sui iuris esse existimans, contra memoratū *Albertū* Abbatē in nostrā Serenitatis præsentia quarimoniam posuit, & iam dictū beneficium sui iuris esse asserauit. Quare & nos *Henrico Ratisbonen.* Episcopo, & iam dicto Abbate ante nostrā præsentiam euocatis, coram Principibus exacta inquisitione discussimus, quæ prædictarum partium allegatio rationi . . . Vbitandem ex Principum sententia Domino fauente, comperimus, quod Ecclesia Pontificalis in *Ratisbona*, & Ecclesia S. *Hemmerami*, quæ pariter vno eodemq; condicionis iure fungi noscuntur. hæredib. foeminei sexus nunquā beneficiū de iure concedere deberet. Quā videlicet sententiā à Vicedomino *Vlrico* promulgatā, consentientib. omnib. qui presentes erāt Principibus, imperiali autoritate duxim⁹ roborandā. In generali q̄ corā in Purificatione S. Marię *Vlmę* celebranda sepeditus Abbas ad illius sententiā

sententiæ confirmationem priuilegium à nostra celsitudine inpetrauit. Notum sit igitur tam futuris quam præsentibus Christi fidelibus, quod nos Ecclesiam S. *Emmerami* in nostram protectionem suscepimus, & sæpeditam sententiam ex consensu multorum Principum promulgatam præsentis scripti priuilegio confirmauimus: statuentes vt nullus Regum aut Imperatorum nec Archiepiscop<sup>9</sup>, nec Ep<sup>9</sup>s, nec Abbas, nec Dux, nec Marchio, nec Comes, nec alia maior minorue persona sententiam illam infringere, aut violare præsumat, sed maneat in perpetuum ei, cui collata est, Ecclesiæ omnimodis valitura, Et vt hæc omnia in perpetuum firma atq; in conuulsa permaneant, præsentē paginam sigilli nostri impressione iussim<sup>9</sup> insigniri. Testes qui *Ratisbona* in prolacione sententiæ præsentis fuerunt, sunt hi: *Heinricus Ratisbonen. Ep<sup>9</sup>s. Heinricus Præfectus. Otto* frater eius. &c. Datum *Vlme.* Non. Feb. Indict. V. anno Dominicæ incarnationis M. C. XXXV. II. Regnante Dñ. *Friderico Rom:* Imperatore gloriosissimo anno regni eius quinto, Imperij verò secundo.

**I**n nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Fridericus* diuina fauente clementia *Rom:* Imperator semper Augustus. Ex Imperatoriæ maiestatis nobis à Deo crediti officio Ecclesiarum omnium curam & piam sollicitudinem habere tenemur, earum quidē præcipue quæ à maximis & nobilissimis *Rom:* Imperatorib. fundatæ, & ad exercitiū diuini cultus perductæ dignoscuntur, quatenus ex præsentis operationis instantia vna cum antecessoribus nostris æternæ retributionis præmia consequamur. Omnib. igitur præsentium inspectorib. significamus, nos Priuilegia Monasterij S. *Emmerami Ratisbon.* libertatē exemptionem ipsius Monasterij continentia vidisse & diligentius examinasse, non, aboliã, non, cancellata, nec aliqua sui parte vitiata, quorū vnū beatissimi *Lucij* Papæ videlicet de verbo ad verbū huic litteræ duxerim<sup>9</sup> inserendū, cuius tenor talis est: *Lucius* Ep<sup>9</sup>s seruus seruorū Dei &c. vt supra. Nos igitur gratias, concessiones, libertates, totumq; superscripti Priuilegij tenorem approbantes nostra Imperiali auctoritate confirmamus. Indulgemus insuper ipsi Monasterio, vt bona quæ per exemptiones, vel cambia, siue per Eleemosinarū largitiones à Baronib. aut aliis Christi fidelibus fuerint sibi collata, quocunq; titulo sint ad nos spectantes, firma de eis sit possessio & illibata. Stabilmus etiam, ei, vt morticina quæ vel dicuntur de hominibus sæpe dicti Monasterij, vbicunq; defuncti fuerint, Monasterio salua sint & custodita, nec in eis alicuius loci libertate iniuriã patiatur. Idē erit obseruandū in perceptione medietatis totius substantiæ mobiliū & imobilium, quæ Monasterio sæpe recitato debetur, quando moriens caret suæ conditionis prole. Ipsi etiā Abbati eiusq; successorib. hoc speciale concedimus priuilegiū dignitatis, vt in ordinē & ius possit promouere ministerialium quemcunq; de familia tali honore iudicauerit esse dignū. Decernimus præterea stabiliter, vt Abbas vel ipsius Nuncius ad exequendū illud, quæ prouiderit iudicandi & corrigēdi ad suū placitum excessus omnium hominū suo Monasterio pertinentium habeat liberā facultatē, nisi forte ad perplexa determināda nostros iudices vocare deliberauerit, tunc ipsi duæ partes, tertia Iudici de pœna excessuum debetur. Per nostræ etiā sublimitatis Edictum mansuro in perpetuū decreto sancimus, vt quicunq; alterum per violentiam infra cellā iam dicti loci aut officinas præsumperit ob culpā aliquam impetere, proscriptus habeatur. Abbatis nimirum familia de omni seruitute nobis & successorib. nostris exhibenda sit imūnis & absoluta. Et vt hæc concessionis autoritas firmior habeatur, præsentē paginā nostri sigilli robore iussimus comuniri. Signum Dñ. *Friderici Rom:* Imperatoris inuictissimi. Ego *Ioannes* Imperialis aulæ cancellarius, vice *Conradi* Maguntinē. sedis Archiepiscopi & Germaniæ Archicancellarij recognoui. Acta sunt hæc anno Dominicæ incarnationis M. C. LIII, Regnante Dñ. *Friderico Rom:*

*Metrop. Salisb. Tom. II.*

li 3

Impe-

*Vendican-  
tur.*

Imperatore an. regni eius III. Imperij verò ipsius primo. Datum *Vberlingn* VIII  
Cal. Octobr, feliciter, Amen.

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Conradus* Dei gratia fauente *Ratisbon.*  
**E**ps, omnib. tam presentib. quam futuris in perpetuum. Nouerit tam eorū qui  
presentes, quam eorū qui futuri sunt industria, quod veniens ad nos Venerabi-  
lis Abbas *S. Emmerami Beringerus*, presentauit tria paria literarū legenda, graua-  
mina plurima continentia, quæ antecessores nostri prædictæ Ecclesiæ *S. Emme-  
rami* videlicet intulerunt. Quorum quidā à fratrib. extorquebant quandā sum-  
mā pecuniæ minus iuste: alij verò apud ipsos cōtra iusticiā se per temp<sup>9</sup> aliquod  
receperunt. Insuper etiam aliqui violenter damna plurima intulerunt. Cum autē  
dignū esse dignoscatur, & iuris ordo exigere videatur, vt qui per prædecesores  
nostros læsi fore cognoscuntur, eurentur nostræ beneuolentiæ medicina. Nos ad  
mandatum sanctissimi *Celestini* Papæ, & ad instantiam gloriosissimi Imperatoris  
*Henrici*, & Capituli nostri, & præcipue ob amorē Dei. & SS. Patronorū Ecclesiæ p-  
nominate, videlicet *S. Petri* principis Apostolorum, ac pretiosissimi martyris  
*Emmerami*, protestamur publicè, non esse iuris nostri, à dicta Ecclesia pecuniam  
magnam vel modicam extorquere. nec ab ipsa seruitium duarum vel vnus reci-  
pere septimanæ, Et vt verius loquamur, nec vnicum diē in seruitio tenemur  
recipere apud ipsam. Et cum Dñ. Papa supradict<sup>9</sup> nobis sæpius litteris suis insi-  
nuauerit, se prædictam Ecclesiam imēdiate signo exemptionis quinq; aureorum  
ad sedē Apostolicam pertinere, ipsam omni genere seruitiorū liberam in perpe-  
tuum statuimus permanere. Et vt hæc firma & inconuulsa permaneant, & à nul-  
lo successorum nostrorum vel aliqua persona possint infringi, hanc chartam in-  
de conscriptam sigilli nostri & Chori nostri munimine iussimus roborari. Acta-  
sunt hæc an. ab incarnatione Domini M. CXC. III. Indiēt. XI. v. Cal. Iunij feliciter  
Amen. Huius rei testes sunt *Eglolfus* maior Præpositus. *Vlricus* Decanus, *Beletus*  
Scholasticus, *Rupertus* Custos & *Obellarius*, &c.

Est. Eber-  
hardi Ab-  
batis super  
Camiterio  
Eg. Synago-  
ga Iudaorū  
Ratisbo-  
næ.

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen. Ego *Eberhardus* Dei gratia Ab-  
bas *S. Emmerami* in *Ratisbona*. Scriptorū series acta corroborat, & obliuione p-  
dita memoriæ restaurat ac perpetuitati cōmendat. Ea ppter cōtractū permuta-  
tionis, si dici cōpetat emptionis quæ super area quadā Ecclesiæ nostræ cū Iudæis  
*Abrahā* scil. suis consortib. fecimus & ipsi nobiscū scripto præsentī memoriæ cō-  
mendandū appensione sigillorum, ne cuiusquam in posterum eis possit no-  
cere contradictio, duximus confirmādum. Notū igitur sit omnib. in perpetuū,  
quod nos communicato cum Capitulo nostro consilio Dño nostro Episcopo  
*Conrado* consentiente, confirmāte, sicut per sigillum eius, quod appositum est,  
patet, Dñi *Vdalrici* scribæ, qui aream prædictā à nobis in feudo habebat, om-  
nium eorum qui in hoc facti requirendi erāt, exquisito adhibito solemniter  
& publicè consensu, aream quondam Ecclesiæ nostræ de manibus pace prædi-  
cti Domini *Vlrici* pro XV. libris absolutam, *Abrahā* Iudæo, omnibus Iudæis  
*Ratisbonen.* vñdecunq; vel quādoocunq; aduenientibus, & eorum successo-  
rib. pro domo quadam XL. libris sub traditione subnotata meliora & vtiliora  
Ecclesiæ nostræ prospicientes permutauim<sup>9</sup> siue vendidimus & in ius proprie-  
tatis obtulimus, ad omnem commoditatem & vsum, quem in ea, vel ex ea, sicut  
de proprio suo habere decreuerint vel disposuerint habendum & sepulturam  
suam & omnium Iudæorum, vñdecunq; ibidem sepeliri cupientium libere  
& absq; prohibitione omnium Episcoporum vel Abbatum, siue quorumcumq;  
Prælatorum in ea celebrandā, & vt de ipsā, quicquid vnquā ordinare voluerint,  
sicut

sicut de proprio liberam habeant ordinandi facultatem. Sanè cum XL. illis libris prædium Ecclesiæ volumus pro necessitate nostra obligatum: domum vero in permutatione vel contractu venditionis & emptionis ita ab illis propriam recepimus, quod quicquid in ea siue permutandum, siue per ruinas vel quamcumque vastationem nullo nobis labore vel expensis ad eius reedificationem vel reparationem imminentibus contingat, ipsi tamen annuatim in festo S. Georgij vnam libram nobis inde persoluant. Quod si in Sabbathum Iudæorum occurrerit, præcedenti vel sequenti proxima die persoluant, cū tamen de area prædicta vix tres solidos habere potuissemus. Nec nos vel aliquis nostrorum, successorum domum vel aream domus illius alicui, nisi ipsis Iudæis possumus vel debemus locare. Et si vnus solus Iudæus in ciuitate superstes fuerit, prædictum censum dabit ad eundem terminum, siue domum vel aream domus voluerit vel noluerit habere. Est autem domus hospitale Iudæorum in *Pawranswinckhs* ex parte occidentis vicina Christianis, ex parte vero Orientis, meridici, & septentrionis circumfita Iudæis. Quæ omnia sicut de consensu & concessione Domini nostri Episcopi facta sunt, ita per subnotationem testium, & per appositum eius sigillum & nostrum sunt corroborata. Huius autem rei testes sunt Christiani & Iudæi, per quos si necesse fuerit factum probari potest, mixtum vel separatim, vel tantum per Christianos, sicut ei placuerit, cui tunc pro necessitate probatio incumbit. . . . testes qui supervixerint, statuimus, quod ipsum Instrumentum cum sigillis ad omnimodam sufficiat probationem. Testes hi sunt Christiani, Henricus ad Capellam, & frater suus Rudigerus, Rupertus Kârgl, Carolus Kârgl, Conradus Graufs, Albertus de Zinginge, Wilhelmus super Danubio, Gozvvinus ad portam, Wilhelmus & Baldvvinus fratres ante urbem, Gotzvvinus Bidervverer, Henricus Saccus, Bernoldus Stainaver, Conradus *Châmbar*/Fridericus Stoltz, Vto in foro, Ludvvicus *Nichstetter*/Hartvvicus super Danubio, Vlricus Holtzner, Rugerus Thelonarius, Carolus Thelonarius & frater eius Gottschalcus. Iudæi, Abraham, Zacharias, Abraham, Aaron, Abraham, Noë, Moyfes, Ioseph, Moyfes, Isaac, Naaman, Isaac, Samuel, Osuvve, Natan, Iacob, Natan, Morteus, Iudas, Saban, Ioseph & alij plures tam Iudæorum quam Christianorum. Acta sunt hæc ab incarnatione Domini M. CC. X. Indiët. XIII. Imperante Ottone anno I.

Conradus Diui Augusti Imperatoris *Friderici* filius Dei gratia in Romanorum Regem electus semper Augustus & hæres regni *Iherusalem*. Regale fastigium toties læditur, quoties in defectu clementiæ reperitur: & quanto benignius compassionibus pietatis immergitur, tanto gloriosius exaltatur. Clementer igitur lachrymis & deuotis supplicationibus quorundam Monachorum Monasterij *S. Emmerami* in *Ratisbona* in cuius more progenitorum nostrorum hospitali hospicio nefandum consilium & detestabile homicidium personæ nostræ, per *Albertum* qui se dicit *Ratisbonens* Episcopum, & *Conradum* de *Hobenuells* furtivum & nocturnum aggressorem ad excogitatam necem nostri corporis exitit procuratum, misericorditer inclinati, misericordiam potius quam iudicium, de personis & rebus eiusdem Ecclesiæ pro Dei reuerentia, qui non minus misericorditer quam miraculosè in eodem loco tueri voluit, & saluare personam nostram ab insidiis & insulcibus eorundem inimicorum nostrorum sequi volentes, ipsum Monasterium cum personis religiosis Domino ibidem famulantibus, & ab omnibus bonis eius, exceptis *Vlrico* Abbate & illis personis quæ supplicij & interitus nostri connumerati participes & conspiratores extiterant, sub nostra & Imperij protectione ac defensione recepimus speciali. Statuentes ex nunc, & firmiter inhibentes perpetua inhibitione, quatenus nullus sit qui pro-

Restitutio  
Monasterij  
S. Emmerami  
per Regem  
Conradum  
facta.

pter prædictam noxam in detrimentum personæ nostræ commissam præfatum Monasterium cum personis & omnibus bonis suis stabilibus & mobilibus sicut prædictum est, offendere aliquatenus vel molestare præsumat. Quod qui præsumpserit, indignationem Imperialem & nostram se nouerit incursum, præter poenam quam transgressori eiusdem mandati nostri infligere voluerit excellentia nostra, seu aliquis alius hæredum & successorum nostrorum: Ita tamen, quod domus illa in qua ex præfato machinamento proposuerant irreuocabili proposito præfati *Albertus* dictus Episcopus, *Conradus* de *Hobenuels* & *Vricus* Abbas eiusdem loci, personam nostram mortis supplicio tradidisse, diu debeat funditus, ne parietes ipsius domus scædati & perfusi cruore dormientium tunc temporis coram nobis pro custodia personæ nostræ, qui pro salutis nostræ defensione sanguinem suum fundentes mortem spontaneam subierunt, amplius in eodem loco valeant reperiri. Tenentur insuper Monachi eiusdem Monasterij ex pacto firmæ promissionis habitæ coram nobis, præsentibus *Ottone* Comite Palatino *Rheni* Duce *Bauariæ*, dilecto Principe & socero nostro, & *Ludovico* filio suo dilecto Leuiro nostro, *Ottone* Marchione de *Hohenburckb*, dilecto consanguineo nostro, *Henrico* Marchione de *Burgauv*, *Ludovico* seniore Comite de *Oeting*, *Gottfrido* de *Hohinlohe*, & aliis consiliariis nostris, nec non ciuibus *Ratisbonensibus*, quod in eodem loco vbi hæctenus extiterat, domus predicationis nostræ construere debent, & erigere à nouo fundamine ex propriis sumptibus Ecclesiæ *B. Emmerami*, Capellam vnam ad honorem *B. Virginis Mariæ*, & *B. Nicolai* specialium tutorum & defensorum nostrorum in articulo eiusdem necessitatis nostræ, quam à modo & in perpetuum regiam Capellam volumus appellari dotandam per eos competentibus dotibus, ex quarum prouentibus habere valeat sufficientia & annua stipendia Monach<sup>o</sup> sacerdos statutus ad hoc per Abbatem & conuentum eiusdem, qui eandem Capellam gubernabit diuinis & continuis officiis in perpetuum, memoriam nominis nostri & hæredum nostrorum, qui pro tempore fuerint ad regimen Imperij constitui. Censemus etiam omnes infeudationes & donationes rerum ipsius Monasterij per scripta nostra personæ alicui *Otoni* prædicto indultas, irritas & inanes. Nec pati volumus quod de omnibus prouentibus & redditibus præfati Monasterij, præsentē guerra durate, alicui personæ speciali rectori & prouisorio, qui fuerit in eadem Ecclesia de mandato & voluntate nostri culminis constitutus, per Monachos & fideles personas subiectas ipsi Monasterio intendatur, ad vsus & utilitatem Ecclesiæ conuertendis. Et si aliquis Monachus ipsius Ecclesiæ seu aliqua persona tam Ecclesiastica quam mundana contra prædicta omnia publicè in præsentia nostra statuta opponere se præsumpserit, participem præfati facinoris in personam nostram excogitati ab omnibus fidelibus nostris volumus eum haberi. Ad quorum omnium memoriam & stabilem firmitatem præsens scriptum fieri, & sigillo nostro Celsitudinis iussimus communiri. Datum apud *Ratisbonam*, Anno Incarnationis Dominicæ *M. CC. LI.* mense *Januar*, nonæ *Indict*.

Privilegiū  
Ducum  
Bavariæ de  
extirpatione  
sylvæ  
iuxta *Lintach*.

Nos *Otto*, *Ludovicus*, & *Stephanus* Dei gratia Palatini Comites *Rheni*, Duces *Bavariæ* per præsentia recognoscimus, & notum facimus vniuersis, Quod cum Monasterium *B. Emmerami Ratisbonæ* præ cæteris Ecclesiis patriæ nostræ in spiritualibus & temporalibus florere dilucide dignoscatur, vt flos religionis in eodem loco nostris temporibus non deficiat, per suauitatem sui odoris roburque vigoris obseruet, intendimus Ecclesiam istam piis auxiliis & solidis defensionibus subleuare. Quare cum Venerabilis Vir Dominus *Carolus* Abbas illius loci pro Ecclesia sua periuerit, vt sylvam quandam circa *Geltolfing*, in loco qui *Lintach*

*bach* dicitur, suam, & ipsi Ecclesiæ attinentem, ex antiquo extirpare desiderare sperans prædicia utilitati suæ congrua facere, terram illam ad culturam frugiferam redigendo. Nos ob reuerentiam Dei, & Sanctorum merita, quorum ibi multitudo numerosa quiescit, & ipsius Abbatis amorem admittimus extirpationem sylvæ, quæ exereuit ibidem, sic vt nec ipsa Ecclesiæ circa huiusmodi extirpationem, nec laborantes in eadem per nos aut posteros nostros, ac Principatus successores impedimentum aliquod sustineant, aut oporteat formidare. In cuius rei testimonium atque robur præsens Instrumentum ipsi Ecclesiæ dedimus nostrorum sigillorum robore communitum. Datum & Actum *Ratisbonæ* Anno Domini M.CC.XCV. In die beatorum Iohannis & Pauli martyrum.

Nos *Conradus* Dei gratia Ecclesiæ *Ratisbonæ*, Episcopus vniuersis præsentibus literas inspecturis volumus esse notum. Quod cum venerabilis Dominus *Carolus* Abbas Ecclesiæ *S. Emmerami Ratisbonæ* in loco qui dicitur *Behaimisch Pruckh*, cuius proprietates ad officium Custodiæ nostræ spectabat, Cellam sui ordinis constituere concepisset, habens in vicino possessiones plures & prædicia Ecclesiæ suæ inutilia, & inculta, quæ eidem cellæ construendæ considerauit posse fieri fructuosa, & nihilominus ad conceptum huiusmodi complendum, jus patronatus parochialis Ecclesiæ *Mospach* adiacentis ab Illustriss. Principe Domino *Rudolpho* Comite Palatino *Rheni* Duce *Bauariæ* ex liberali donatione obtinisset, sicut in literis super hoc sibi & Ecclesiæ suæ datis vidimus contineri: Nos ad instantem petitionem ipsius Domini *Caroli* Abbatis volentes suum laudabilem propositum adiuuare, de consensu venerabilium Dominorum & confratrum nostrorum, D. Præpositi, D. Decani ac totius Capituli Ecclesiæ nostræ prædictum locum *Behaimisch Pruckh* cum omnibus suis attinentiis, cultis & incultis, quæ sitis & inquirendis, agris & pratis, pascuis, molendinis, syluis & nemoribus eidem, & Ecclesiæ suæ donauimus, tradidimus & assignauimus, jure proprietatis perpetuo possidendum, & ipse vice versa, vnâ cum conuentu suo in recompensam Ecclesiæ nostræ tradidit, donauit, & assignauit molendinum, in *Abbas* vnde situm prope castrum dictum *Churn* soluens annuatim 50. denar. qui de bonis *Behaimischen Pruckh* Custodiæ nostræ pro cera solui hæcenus confueuerunt, sicut in instrumento super hoc confecto plenius continetur. Præterea de consensu prædictorum Domini Præpositi, Decani & Capituli Ecclesiæ nostræ duximus indulgendum, & liberaliter admittendum, vt de Decimis, dotibus & obuentionibus vniuersis prædictæ parochiæ *Mospach* attinentibus exceptis decimis noualium, ordinare valeat, quod sibi & Ecclesiæ suæ ac cellæ construendæ viderit expedire. Hoc prouiso, quod ipsa parochia debitis obsequiis non fraudetur & a soluendis juribus seu exactiõibus Papalibus, Episcopalibus, Archidiaconalibus, & aliis quibuscunque minimè excludatur, & animarum in ea cura negligatur. Et Abbas seu successores ipsius quilibet nobis nostrisque successoribus teneatur ad præscriptam Ecclesiam *Mospach*, si quando, vt pro sustentatione Sacerdotis secularis eius fructus sufficiant, respirabit, pro plebano, quotiescunque vacabit, aliquem Sacerdotem idoneum præsentare, qui etiam congrua & competenti præbenda seu prouisione per Abbatem seu successores eius eidem tunc deputanda, contentus esse debet, de fructibus & prouentibus Ecclesiæ prænotatæ. In cuius rei memoriale perpetuū præsens priuilegium sigillis, nostro videlicet & Ecclesiæ nostræ Capituli duximus confirmandum. Datum & actum anno Domini M. C. C. XCIX. II. Idus Maij.

Lit. Conradus  
radi Episcopi  
pi super  
ponte Bohemorum.

\*nullatenus

*Rudolphus* Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. Vniuersis sacri Imperij fidelibus gratiam suam & omne bonum. Regalis excellentia tunc sui nominis titulos ampliat & extollit, cum loca diuino cultui dedicata, & personas ibidem Domino famulantes benigno fauore prosequitur, ac eorum iustis & ratio-

& rationabilibus petitionibus fauorabiliter se inclinat. Ex parte itaque Venerabilis Abbatis & Conuentus Monasterij S. *Emmerami* Ratisboñ. nostro culmini, fuit humiliter supplicatum; vt Priuilegium eis ab *Henrico* Romanorum Imperatore quondam indultum, nostris oblatum conspectibus vellemus de benignitate regia confirmare, cuius tenor talis est: In nomine Sanctæ & Indiu-  
*Vid. sup. p.* duæ Trinitatis *Henricus* diuina fauente clementia Romanorum Imp. Augustus, &c. Nos igitur prædictorum Abbatis & eius Conuentus piis supplicationibus inclinati præscriptum priuilegium & eius tenorem, à quondam *Henrico* Imperatore Romanorum ipsis datum, de benignitate regia confirmamus, & scripti præsentis munimine innouamus. Volumus etiam, & præsentis statuimus sanctione, vt nullus supradicti Monasterij Aduocatus aliquod seruitium seu pro-  
 curationem aliquam contra iustitiæ formam & in zelum ab antiquo statutum requirere debeat vel audeat ab Abbate aut prædiis vel hominibus pertinentib. ad eundem. Censum etiam VII. aureorum sedi Apostolicæ in exemptionis euidens argumentum ab Abbate dicti Monasterij annis singulis persoluendum auctoritate regia confirmamus. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc nostræ confirmationis & donationis literam infringere, vel eidem ausu temerario contraire. Quod qui facere præsumpserit, grauem nostræ Maiestatis indignationem se nouerit incurrisse. Signum Domini *Rudolphi* Romanorum Regis inuictissimi. Datum *Hagenovve*, Anno Dominicæ Incarnationis M. CC. LXXIV. II. Id. Iulij, Indi. II. regni verò nostri anno primo.

*Ludovicus* Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, Vniuersis sacri Romani Imperij fidelibus præsentis literas inspecturis gratiam suam & omne bonum. Quanto nos Deus exaltauit sublimius, tantò benignius inspirauit nobis spiritum voluntatis illius, qui ad zelum fidei Christianæ nos prouocat, ad iustitiæ rectitudinem dirigendam sollicitat, & ad sacrosanctas Ecclesias & Ecclesiasticas personas, in quibus & per quas pro nostræ salutis augmento ipse Deus omnipotens placabiliter exoratur, fauorabiliter promouendas ac exaudiendas supplicationes earum immutat & afficit mentem nostram. Hinc est, quod cum Venerabilis *Waldevinus* Abbas S. *Emmerami* Ratisbonæ Ordinis S. *Benedicti* Princeps noster dilectus nobis supplicauerit precibus instantinis vt priuilegia quædam nostro conspectui præsentata dignaremur verab. innouare, & effectualiter auctoritate regia confirmare, Quorum priuilegiõrum primi tenor est  
*Vid. sup. p.* talis; In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, *Fridericus* diuina fauente clementia Rom. Imp. &c. Datum *Vberlingn.* IX. Cal. Octobr. feliciter Amen.

Secundi verò tenor est talis: In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, *Conradus* Dei gratia fauente Ratisbon. Episcopus omnibus &c. Nos vero volentes dicto Abbati in iustis suis petitionibus non deesse, non solum præscripta priuilegia, verum etiam omnia & singula à quibuscunque prædecessoribus nostris diuis Imperatoribus seu Romanorum Regibus cuiuscunq; tenoris extiterint, data & concessa iustè ac rationabiliter auctoritate regia confirmamus. Insuper præmissis gratias adiungentes Abbati memoratæ Ecclesiæ concedimus  
*Vid. sup. p.* ex innata nobis clementia & gratia spirituali, vt si quo tempore regnum Romanorum legitimo careat defensore, Abbas qui pro tempore fuerit, etiam si iura regalia nondum fuerit consecutus, fraude tamen & dolo non obstantibus, omnes Vasallos sæpè fatæ Ecclesiæ cuiuscunq; præminentia vel conditionis extiterint de feudis cuiuslibet debitis ac pertinentibus, ritè ac rationabiliter infeudare possit & valeat, præactò sibi articulo non obstante. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc nostræ confirmationis & concessionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit,

ric, se indignationem regiam poverit incursum. In cuius rei testimonium, has conscribi, & nostre maiestatis sigillo iussimus communiri. Datum Ratisbo-  
ne XI. Cal. Iulij, Anno Domini M. CCC. XV. Regni verò nostri anno primo.

**W**ir Johanno Landgraue zum Leuchtenberg/ Graue ze Walse/ des hochgebor-  
nen Fürsten/ vnser gnedigen Herrn/ Herzog Albrecht Pfleger in nidern Bay-  
ern/ Bekhennen öffentlich mit dem Brief/ daß wir von vnser gnedigen Her-  
zen Herzog Albrecht wegen/ des vollen gewalt vnd gankew macht wir haben/ mit sei-  
nes offen Briefen angesehen haben grossen verderblichen gebrechen/ verderben/ vnd vber-  
last/ den der Ehrwürdig Geistlich Herr Abbt Alro zu S. Daymeran zu Regenspurg/  
vnd sein Gotshaus daselben lange zeit gehabt haben/ von Dorfgerichts wegen/ daß  
man auf sein guet in den Hofmarchen geschlagt hat/ Nhin hat vns der ehgenant geist-  
lich Herr der Abbt zu S. Daymeran zu Regen purg beweist/ von vnser Herrn Ra-  
the/ daß er in thainer Dorfgericht vnd Hofmarch sein noch seines Gotshaus guet nicht  
verantworten soll/ anders dann in vnser gnedigen Herrn Herzog Albrecht Landger-  
ichten wann vnser ehgenanter gnediger Herr Herzog Albrecht des Ehrwürdigen  
Geistlichen Herren vnd seines Gotshaus in seinem Lande Obrister Herr vnd Vogt ist/  
vnd vermainen auch von vnser ehgenanten gnedigen Herrn wegen/ daß sich der eh-  
genant Geistlich Herr/ zc. Abbt zu S. Daymeran zu Regenspurg vnd sein Gotshaus  
fürbas in thainer Hofmarch nicht verantworten soll/ in Rhein weis/ anders dann von  
vnser Herrn Landrichtern/ dauon wellen vnd gebieten wir allen vnser gnedigen  
Herrn Ambtleuten/ Pflegern/ Distumben/ Nichtern/ Scherigen/ vnd allen andern  
vnser Herrn Ambtleuten/ wie die genant sint/ die jezunt sind oder fürbas werdent/ vnd  
besonderlich allen Rittern vnd Knechten vberall in vnser Herrn Lande/ die durch vn-  
ser Herrn willen thunt oder lassent/ daß sie den obgenanten Ehrwürdigen Herrn vnd  
sein Gotshaus daselben bey der obgenanten vnser Herrn genad halten vnd schirmen/  
vnd niemant gestatten/ der sie daran irren/ laidigen oder beschweren wolt/ in kein weis  
bey vnser obgenanten gnedigen Herrn vnd vnsern Hulden vnd Genaden. Mitt Br-  
schund diß Briefs versigelt mit vnser gnedigen Herrn Distumbambts anhangendem  
Insigel. Datum Straubing/ Anno Domini M. CCC. LXXXII.

\* ad

*Littera investiturarum à Rom. Imp. & Regibus Abbatibus \* S. Emme-  
ramum factarum. Subnotat & ad manus nostras peruenerunt:*

**R**egis Rom. Adolphi. An. 1295. Abbat. Carolo. Iohannis Bohemie Regis, Abbati \* Regis  
Baldvino regalia concedentis. Wenceslai Regis an. 1386. Frideric. Abbati Vicarij.  
Eiusdem Reg. Wenceslai an. 1396. Ab. Ioan. Ruperti Reg. an. 1401. Abbat. Ioan.  
Eiusd. an. 1405. Ab. Vlric. Maximiliani I. an. 1517. abbat. Ambrosio I. concels. Ca-  
roli V. an. 1521. eid. abb. Ambros. Reg. Ferdinandi I. an. 1535. Abb. Leonhard. Item  
an. 1540. 1559. Abb. Erasm. Eiusd. ann. 1566. Ab. Blasio. Maximiliani II. ann.  
1566. Ab. Blas. Maximiliani II. an. 1575. Ab. Ambros. II. Rudolphi II. an. 1576.  
Ab. Ambros. II. Eiusd. an. 1581. Abbat. Hieronymo.

Epitaphium Abbat. Ambrosij II. in templo S. Emmerammi colum-  
næ cryptæ S. Dionysij ad lauam descensus ad eandem proximæ  
affixum, tale extat:

D. O. M.

REVEREND. IN CHRISTO PATRI AC DOMINO,  
DN. AMBROSIO II. HVIVS MONASTERII S. EME-  
RAMI

RAMI ABBATI, SINGVLARI FIDEI CATHOLICÆ  
ZELO, PIETATE, PRVDENTIA, VITÆ INTEGRI-  
TATE, MVNIFICENTIA, ET MVSARVM PATRO-  
CINIO CELEBRI. CVM VALIDIS. TVRRI ET  
FONTE, ALIISQVE MVLTIS EDIFICIIS IDEM  
MONASTERIVM ILLVSTRASSET, AD POSTE-  
RITATIS MEMORIAM HOC M. P. E. PRÆVIT  
ANNIS VIII. OBIIT M. D. LXXXIII. DIE XXI.  
AVGVSTI, ÆTATIS SVÆ AN. LIII.

In Lapide pavimento inferro hæc leguntur:

AMBROSIVS  
ABBAS HVIVS  
NOMINIS H.  
HIC SEPVLTVS.

HIERONYMVS Ambrosij successor Monasterio annis *benè præfuit,*  
& fato sublatus successor locum dedit;

HIERONYMO moderno, multis nominibus collaudando: etiamnum,  
hoc anno 1620. superstiti, cui Deus vitam & felicitatem accumulare digne-  
tur.

#### HÆGELVVERD.

MONASTERIVM, quasi medio itinere inter Traunstein & Reichenhall,  
fundatur à Comitibus de Plain. Leutoldus Comes obligatis quibusdam  
prædiis ac beneficiis suis, Anno 1219. religionis ergò, ad terram sanctam pro-  
ficiscitur, pauperibus multa largiens, sagitta oculum amisit, inde rediens, Tar-  
uisij obiit. Eius ossa ab Eberhardo, Salisburgen. Archiepiscopo, Vlrico Pata-  
uiensi, ac Rudigero Chiemensi, Episcopis, in Hægelyverd translata, eodemq;  
die Monasterium ibidem consecratum est ab illis.

Hoc EX Chronica sancti Petri in Salisburga, Idem Bruschius de Laureaco  
veteri sub Vlrico Episcopo, fol. 177. Auentinus autem lib. 7. Annalium f. 664.  
dicit Vlricum Episcopum in Ægypto cum multis aliis periisse.

FVERVNT hi Comites etiam fundatores Reicherspergen. Monasterij.

PRÆPOSITI Hægelyverdenfes plerique Nobiles fuerunt, &c. subiectioni  
Salisburgenfi.

#### ADDITIONES.

Vide Tom.  
I. Metrop.  
pag. 12.

PRÆPOSITUS in Hægelyverd interfuit Synodo Prouincial. Salisburgen. an. C.  
1549. Vid. Tom. I. pag. 89. Modernus Præpositus secularis quidem primus  
(ante hæc semper Religiosi siue Monachi extiterunt) est admodum Reuerend.  
præ Nobilis. & Magnificus D. Marquardus à Schuendi, A A. Imp. Matthiæ I.  
& Ferdinandi II. nec non Serenissimi ac Reuerendissimi Dn. Episcopi Pataui-  
en. & Argentinen. Archiducis Austriae &c. Leopoldi Consiliarius, Can. Salisb.  
Augustan. & Patauien. eiusdemque Cathedralis Ecclesiæ Decanus, & Serenif-  
simi Episcopi locum tenens: vir magnus de Repub. optimè promeritus: cui vi-  
tam & felicitatem omnes boni pique.

HAIBACH